Johannes Schultz - Szulecki

TRACTATUS HISTORICO-POLITICUS DE POLONIA NUNQUAM TRIBUTARIA,

AUTORE
JOHANNE SCHULTZIO,
J. U. D. EJUSD. AC HISTOR. PROFESS. PUBL.
ET GYMN. GEDAN. INSPECTORE.

GEDANI,
Imprimebant HÆREDES DAVID. FRID. RHETII,
ANNO M. DC. XCIV.

INCLYTO CIVITATIS GEDANENSIS SENATUI,

Illustri Domino

BURGGRABIO REGIO,

MAGNIFICIS, GENEROSIS, & MAXIME STRENUIS

Dominis,

PRÆSIDI,

PRÆ-CONSULIBUS,

CONSVLIBVSq;

ET

SYNDICO;

Nec non

AMPLISSIMO DICASTERIO,

NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS & GRAVISSIMIS

Dominis,

SENIORI,

CONSENIORI,

ET

SCABINIS,

Viris ſtemmate ac togâ inſignibus,

PATRONIS MAXIMIS.

PROCERES CIVITATIS INCLYTI

QVæ fuerit Regni Sarmatici, à tot retrò ſeculis ad noſtram usque ætatem, facies, jam ſerena, jam ſqualida, avito tamen nitori ſuo reſtituta ſemper, publicis literarum monumentis tradere mihi animus eſt. Non excepta immunisque à fati lege, cujus vim, non homines tantùm, qui brevis & caduca res naſcimur, ſed immortales Respublicæ experiuntur, memoranda eſt locorum noſtrorum conditio. Tentavit in nos vires ſuas aſperior ſors, ſed & conſumſit. Ceſſimus aliquando fortunæ, at noſtræ invicem ſimul felicitati ceſſerunt omnes reliquæ Gentes ac Populi. Supremi Numinis id munus eſt, quodcunque Nobis anxiâ temporum iniquiorum varietate diſtractis tàm auſpicatò, tàmque deſideratò ſæpè contigit. Excitati impulſu Ejus Reges noſtri Glorioſiſſimi, qui velut Atlantes, inſigni prudentiâ ac fortitudine heroicâ, labantem Reipublicæ Majeſtatem ſuſtinerent. Et ſi quando, in communi Regis ac populi calamitate, ſuam quisque haberet fortunam, non defuêre, qui properanti in perniciem fato ſtrenuè ſe opponerent. Tantùm apud quosdam valuit pietas in Deum, fides in Regem, ac inſitus in ſocia ſibi membra amor. Quæ Virtutes adeò Veſtræ ſunt, MAGNIFICI CIVITATIS INCLYTÆ PROCERES, ut inde Veſtris meritis, ac Vicinarum Gentium ſuffragio glorioſum, OPTIMORUM REGNI CIVIUM, titulum mereamini. Sanè marcet ſine adverſario Virtus, ac tùm demùm apparet, quanta ſit, quantumque polleat, cum patientiâ probatur. Exercuit Vos diu certè, nec perfunctoriè, feralis belli è Septentrione flamma. Non inconſulta tunc Vobis, laxaque in res novas inclinatio; quâ, velut torrente, abreptas vidimus plerasq; Orbis Sarmatici partes. Conſtans & inconcuſſa perſtitit mens, non pertæſa longioris mali, non blanditiis inflexa, non minis territa. Et ne præruptâ adulatione rapi videar; poſuit Vobis æternum Gloriæ inde partæ monumentum Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Regni Senator, Dn. OLSZOVIUS inquiens:

IN HAC, URBE ORBIS POLONUS
SERVATUS EST.

Im-

Immortali hôc Elogio monente, POLONIA NUNQUAM TRIBUTARIA Vobis, PATRES PATRIÆ, debitô à me cultu consecratur. Jure longè optimô ea sibi inscribit Nomina nunquám obscura, quibus, ruente tunc in pejus seculo, servatam debet libertatem & agnoscit. Discat posteritas, ætatis Vestræ subire arbitrium; non opes, non classes, non legiones, perinde firma esse Regni Sarmatici munimenta, quàm FIDEM S. P. Q. G. Hanc Posteris commendatam nec unquam intermorituram meritorum Vestrorum memoriam veneratur

Magnificorum & Amplissimorum Nominum Vestrorum

fide devotâ subjectissimus

JOHANNES SCHULTZ.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

MOris est, argumenta Libris Scriptisq; præponere, ut quodam compendio quasi, rerum copia ac ordo Lectori exhibeatur. Quippe Præfationes istæ & faciliùs nos ad lectionem propositæ materiæ perducunt, & cum ibi venerimus, evidentiorem præstant intellectum. *Non contemnendum id Caji judicium est* l. 1. ff. de Orig. Jur. *Ita si commodè Hospitem ædificio excipere velis, via primum probè munienda est; & merces emturum Tabernæ facies invitat ac trahit citiùs, quam rerum venalium copiosior pictura ornat. Præsentis verò operis argumentum ex ipso titulo tam clarè mihi patere videtur, ut introductione Lectorem indigere haud putem. Procul mihi animus est ab eo, ut suspenso vel obscuro titulo sensum argumenti penitùs recondam, in incertum ita, & ambiguum magis implicaturus Lectorem. Liberrimam in Universâ Europâ Rerumpublicarum,* Poloniam nunquàm Tributariam *exhibeo: Hæc Rerum omnium summa est. Incorruptam fidem profiteor, quæ suspicionem incurreret, si in ipso limine fallendi adesset propositum. Equidem fateor, majoribus ingeniis hanc historiæ sementem in copiosiorem messem relinquendam fuisse, nec præstitam jam à* Francisco Marinio *operam sub iteratam à me incudem revocandam. Merebor tamen veniam, si officii necessitate, quâ non juri tantum docendo, sed &* historiæ *tractandæ obstringor, pruritus labem abstersero. Marinii Opus promissum, initio mihi ignotum fuisse, lubens agnosco. Ex quo mox innotuit, rumpendam.*

dam duxi telam: hærebam ac inchoato jam operi & propè jam absoluto manum admovere distuleram. Prævaluêre tamen Fautorum & Amicorum monita. Timui enim, ne in contumaciam transiret obstinata modestia. Id mihi evenit, quod Socrates olim dixerat. Qui persuadentur, quasi grata res acciderit, etiam amant. *apud Xenoph. L. 1.* Memorab. f. 713. *Benignum E. à Te judicium expeto & spero L. B. non convicia, turpem fœtum impotentis animi. Nam quicquid ulli veritati dissentaneum à me dictum est, id nec dictum esto. Interim quid sperem quidve metuam, dubius hæreo. Fortè illud Ecclesiastæ huc trahere licet: Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta. Eccles. c. IX. v. 1.*

Nomina Dn. Dn. Respondentium, Juvenum & gente & mente insignium.

Sect. I. JOHANNES DANIEL SCHLIEF, Ged: qui in Belgio, studia feliciter cœpta continuaturus, magno Parentis Optimi & Patriæ luctu decessit.
Sect. II. ALBERTUS ROSENBERG, Gedan.
Sect. III. BENJAMIN EWALD, Gedan.
Sect. IV. JOACHIMUS HENRICUS SCHRADER, Ged.
Sect. V. DANIEL SCHRADER, Gedan.
Sect. VI. SALOMON HAHN, Mariæb.
Sect. VII. CHRISTIAN DABERHUDT, Ged.
Sect. VIII. GEORGIUS KESSELHUT, Gedan.
Sect. IX. HENRICUS FREDER, Gedan.
Sect. X. HIERONYMUS BROEN, Gedan.

SECTIO-

SECTIONIS I. CONSPECTUS *DE* GENUINO SENSU REGIONUM TRIBUTARIARUM.

§. (1.) *De præjudiciis terminorum.*
§. (2.) *Metus tamen Præjudicii tunc cessat, si terminis suspectis utamur, in defectu meliorum cum Applicatione ad terminos subjectionem denotantes, & in specie, Tributi terminum.*
(3.) *Qui etiam naturâ & origine suâ nullam subjectionem denotat.*
(4.) *Hinc à re petenda decisio, cùm termini fallant & in specie Tributi terminus.*
(5.) *Tributi significatio dividitur in propriam & impropriam.*
(6.) *Quando propria intelligenda? Resp. Ex causis, quarum tres numerantur, & triplicem faciunt Regionum Tributariarum speciem.*
(7.) *Prima est ex Pactô generali Societatis, se imperio Magistratus subjicientis, ob varios fines.*
(8.) *Nisi Populus sibi auctoritatem tributi exigendi reservet.*
(9.) *Altera tributi exigendi causa in jure armorum & victoriæ ponitur, & quidem ob varios fines. (1.) in præmium remissi rigoris bellici; vel (2.) in pœnam violati juris antiqui; vel (3.) ad bellicorum sumptuum restitutionem; vel (4.) in acquisiti juris signum; id quod colligitur, (5.) ex usu monetæ: vel (6.) in securitatem victoris & victi.*

(11.) *An*

(10.) *An de jure omnes hi exigendi tributi fines subjectionem semper denotent.*

(11.) *Tertia species oritur ex pacto speciali, quæ in proprio sensu intelligenda, si mentio* subeundæ subjectionis *fiat.*

(12.) *Quid si verò ejus nulla mentio? Resp. neg.*

(13.) *An ex aliis causis promenda, ut munerum præstatione? Resp. neg.*

(14.) *Quid si stipulatio accesserit? Resp. neg.*

(15.) *Quid si stipulationem præcesserit obligatio? Resp. nec tunc; an propter patrocinium præstitum? Resp. neg. Distingvitur hoc á deditione.*

(16.) *An ad avertendam potentium injuriam? Resp. neg.*

(17) *An Titulus remuneratorius, propter collationē Regiæ dignitatis?* Neg.

(18.) *An concessio juris ad occupandas terras vacuas? Resp. neg.*

(19.) *Quomodo & re & nomine consulendum securitati suæ?*

(20.) *Recensentur effectus quidam & signa Regnorum Tributariorum in proprio sensu.*

§. I.

Rectè quidem Augustinus contra Academicos, *Turpe*, inquit, *disputationibus, in verborum quæstionibus, immorari, cùm certamen nullum de rebus remanserit.* Ast ubi rerum decisio â vocum significatione peti videtur, non inutilis tunc illi impenditur cura. Sæpè enim, ob culpam negligentium, vel non advertentium, rebus, vel actionibus imponuntur termini, qui postea vitiô perpetuô laborant & auctoribus præjudicia gignunt. Id certè Achabi Exemplô constat, quem, in sui præjudicium, bis inconvenienti terminorum expresfione peccâsse legimus *III. Reg. c. 20. v. 4. Tuus ego sum*, inquit ille ad Regem Benhadad, *& omnia mea*, hæc verba ita intelligens: *Do me meaque in Tuam Fidem:* Benhadad autem *de rerum proprietate* intelligebat: item v. 32. ubi

32. ubi devictum hostem *fratrem* appellat, vitam ita vi vocis, contra DEI jusfionem, illi largiens. Ad quem textum non injustè Grot. in N. B. p. m. 201. *Fortuna quidem communis Reges Regibus commendat, sed cavendum, ne id fiat cum malô publicô.* Commendatur itaque Punctualitas Hispanorum hâc in re, qui, ne quid præjudicii ipsis paretur, in selectu verborum curiosos se exhibent. Ita Præfectus Arcis Ultrajectinæ hanc Belgis non *dedere*, sed *consignare* voluit. *qua de re vid. Lans. in Orat. contra Hispan. ex Thuan. L. XLVI.*

§. II.

Obtinet verò hic metus præjudicii, si copia meliorum terminorum adsit. Ast in defectu illorum, quod sæpè evenit, *cum, ob copiam rerum, istas non propriis appellationibus notaverit antiquitas, sed alienis commodatisque* (advertente id probè *Senecâ L. 2. de beneficiis c. 34.*) aliter sentiendum erit. Occurrunt enim sæpè voces, quæ vitium involvunt, dum in ipsâ Materiâ nihil minus quid quàm vitium lateat. *Grot. de J. B. & P. L. 1. c. 1. thes. 10. n. 6.* Tales sunt Termini *Simulandi, Doli boni, piæ fraudis, simplicitatis, furti, homicidii*, quibus utimur, quia speciali vocabulô ad exprimendum id, quod simulandi, doli boni, &c. nomine appellamus, destituimur. Quam materiem ut vulgo notam dimittimus. *Tam* exigua verbis est præstanda Fides. Itâ multi quoque termini sunt, qui *naturam subjectionis* exprimunt, ab hâc tamen ex intentione proferentium procul alieni. *Servus* & *mancipium* vi vocis *subjectionem* denotat. Ast Prusias Rex Bithyniæ, tametsi æquo fœdere cum Romanis societatem contraxisset, se *mancipium* tamen Senatus appellavit. *Bodin. L. 1. c. 10.* Huc quoq; trahenda communis formula, quâ nos, in omnibus fere lingvis *servos alterius* ap-

 pellamus,

pellamus, non in notam oblatæ servitutis, sed usus officiorũ, quem in defectu meliorũ terminorum, suspecto servitutis insignimus terminô. Conf. *diss. nostra de Civil. Proficua C.1. th.11.* Tale quid de Termino Tributi sentiendum, dum Tributariam Poloniam ab quibusdam Patriæ Scriptoribus appellatam fuisse certum sit, quia speciali & genuino nomine ad exprimenda donativa destituebantur. Qua de re in futurum pluribus.

§. III.

Imò si accuratiùs ad ipsam Termini naturam & originem advertamus, nihil præjudicii inde deduci poterit. Tributi enim nomen omne id initiò denotabat, quod liberè conferebatur à Romanis domi manentibus, ut eò meliùs moles bellorum, & qui militiam sequebantur, sustineri potuerint. *Gœddeus de V. S. ad L. 27. ff. de V. S.* Origine igitur voluntatis, non subjectionis nota erat: hinc ubi id à Romanis per modum Imperii extorqueri tentaretur, Franci Reges odiô vocis id à suis exsolvi noluerunt. *Turr. Hist. Franc. L. 7. Cap. 15. & Gener Dn. de Retz in diss. de antiquissimâ Germ. Civit. Pensione vulgò* **Orbede.** *c. 1. num. 35.* Quod eum in finem allegatum esto, ut argumentum à naturâ & origine vocis petitum eludatur.

§. IV.

Sed jam ad communem usum (quo voces metiri debemus *per L. 7. ff. de Supel. & Godofred. ad d. l.*) descendamus: sanè negari nequit, Tributa esse notam subjectionis in illis, qui illa ex titulo *subjectionis* pendunt, non verò, si ex aliis causis, (de quibus mox agetur) nullam subjectionem notantibus exsolvatur. Sic enim hôc terminô, ut dictum suprà,

suprà, utendum, in defectu meliorum. Hinc à re potiùs petendus est vocis intellectus. Sæpè enim *sine nomine* præstantur onera, quæ tamen naturam Tributorum induunt: quod exemplis uberrimis constat. Ita *Melitenses Equites* Regi Hispaniæ quotannis Falconem mittere solent. *Forjulienses* victi à Venetis coacti sunt quotannis 12 porcos & 12. panes, singulis existentibus 200. librarum, præstare apud *Flavium Blond. L. 5. Decad. 2. Genuenses* Alphonso, Hispaniarum Regi, Trullam auream Tributi locô solvisse, narrat *Anton. Panormit.* Sæpè etiam *mollioribus* terminis utuntur Historiarum Scriptores, in exprimendis oneribus, quibus tamen tributariæ Naturæ inhæret labes. Hinc Principes illos seu *ærarios*, quod in ærarium alterius Principis certum quid conferant, seu *fiduciarios*, quòd in fide alterius sint, seu nomine Turcicô Timariotes h. e. *beneficiarios*, quòd beneficio alterius se obstrictos profiteantur, dixeris; in effectu tamen omnes illos pro veris tributariis plerumque accipi, docuit jam olim *Bodin. de Republ. L. 1. c. 10. pr.* Ipsum Melitensium tributum beneficii nomine superbit ap. *Gramond. L. 1. Hist. p. 61.* Ita terminis & vocibus contrarii effectus, ex Natura substratæ materiæ, adjudicandi sunt.

§. V.

Clariùs verò res expedietur, ubi duplicem tributi admiserimus significationem, *propriam & impropriam. Propria* est, quæ subjectionis notam & recognitionem Superioritatis pro fine agnoscit, quô sensu allegata mox videbimus juris Gentium testimonia. *Impropria* est, quæ quidem communi gaudet nomine, in effectu verò de natura rei nihil participat. Penditur enim illud sæpè ex *aliâ quâcunque obliga-*

obligatione: & certum eſt, non omnem obligationem nos inferiores reddere, ſed illam demum, *quæ ex Lege fit.* Ità obligatio ex contractu nos obſtringit quidem, ſed promiſſori non ſubjicit, quinimò æqualitatem deſiderat. *L. conſenſu 2. §. ult. ff. de O. & A. Grotius de J. B. & P. L. 2. Capit. 12. theſ. 8.* Dicenda igitur erunt regna illa tributaria, quæ in ſubjectionis ſignum & recognitionem ſuperioritatis tributa pendunt. Reliqua nec pœnam nominis merentur.

§. VI.

Cùm verò non tantùm *expreſsè*, ſed & *tacitè* per negligentiam, aut vigilantiam adverſarum inter ſe partium acquiri jura & amitti ſoleant; ad Naturam negotii vel cauſam attendi ſolet, quæ præſumptionem jùris introducat, quandonam præſtationes onerum ſubjectionis veræ ſigna ſint. Et hujus quæſtionis Deciſionem faciliorem reddet diviſio illa, quâ onera ſeu tributa, ex triplici cauſa, (1) Ex *pactô generali.* (2) Ex *jure Victoris & armorum.* (3) Ex *pactô ſpeciali* præſtanda, in totidem ſpecies diſtingvimus.

§. VII.

Ac *primò* quidem indubium eſt, ſubditos, qui ex *pacto generali* Societati ſe ſuaque ſubmiſerunt, Tributa ſummis poteſtatibus pendere, pp. var. fin. (1) *in ſui conſervationem*: Neque enim quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt. *Tacitus Lib. 4. Hiſtoriar. cap. 74. num. 2. & annal. Lib. 13. c. 50. num. 1.* Ità etiam de hâc ſublevatione onerum in ſalutem Reipubl. convertendâ Imperator in *Nov. 149. c. 2.* Impoſſible eſt, *inquit*, ſacris tributis non illatis alioqui Reſp. conſervetur. (2) In *recognitionem ſuperioris*, quâ Subditus ità gratum erga Rempubl. animum ſuum pro labore poſitô declarat

declarat *Dn. Becmann. Medit. Polit. c. 20 th. 3. & PP. c. 20. th. 1.* Quorſum iſta Servatoris tendit ſententia: *reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris. Matt. 22.* (3) In *præmunimentum fidelitatis.* Non enim inſolitum eſſe ſolet Principibus, fatigare tributis libidinem ſubditorum, ne viribus ſuis fulti imperium, quô leniter ducuntur, excuterent: quam Clotarii III. Regis Galliæ rationem fuiſſe teſtantur Scriptores, dum ille ſubditos ſuos ideò tributis exhauſiſſe fertur, ne animum extollerent ob pingvis ſoli ſui ubertatem. Idem de Matthia, Hungariæ Rege, refert *Bonfin. R. H. Dec. IV. Lib. 3.* Quanquam rari ſint Principum ex immodicis exactionibus ſucceſſus. Sæpè enim læſa ſubditorum patientia in furorem convertitur: cujus rei exempla temporibus Rechoboami *III. Reg. 12.* & initiô Principatus Tiberii. *Grot. N. B. ad d. l.* Philippi II. Regis Hiſpaniarum tributo 5. partis mercium Portugalliam prementis. *Gedeon Pontier d. Cabinet des Grands T. 2. ch. 2.* (idem in Gallia A. 1675. accidiſſe refert A. Werw. *Eur. P. 7. f. 774.*) aliorumque Principum conſpicua ſunt. Imò nec unquam conſtantes iſtis Principibus divitias fuiſſe, docet *Dn. Becmann. P. P. c. 20. th. 2.* (4) In *ſignum abſoluti Dominii*, quod tamen in Regnis merè Patrimonialibus tantùm obtinere certum eſt, in quibus indictio quæcunque tributorum permiſſa, cùm Regiones iſtæ veræ ſervitutis ſpeciem conſtituant, quod vel Ægypti teſtimonio perſpicuum eſt. *Geneſ. 47.* Et de *hâc primâ Tributi ſpecie indubium eſt, illam propriæ & ſine Exceptione veræ ſubjectionis naturam exprimere.*

§. IIX.

Quod tamen eô cum temperamentô dictum eſto, niſi Populus ſummæ alicui Poteſtati ſe ſubmittens, tributi exigendi

gendi auctoritatem sibi servet. Ità enim antiquæ libertatis jura remanent. *Manet honor & antiquæ Societatis insigne: Nam nec Tributis* (coactis scil.) *contemnuntur, nec publicanus atterit.* Confer. *Tacitus de German. moribus Lib. 20. cap. 2.* Imitantur hanc Libertatis speciem Angli, qui belli quidem indicendi potestatem Regibus concedunt, tributi vero exigendi facultatem à Parlamentô dependere volunt. *D. Becm. Hist. C. c.4. §.20.* Idem in Imperiô Romanô observari docet. *Burgoldensis P.3. Disc. 2. §.11. arg. §. gaudeant. art. 8. instrum P. n.5.* Et hoc sensu tributa non absolutam subjectionem, sed voluntariam oneris communi bono applicandi indigitabunt concessionem. Id quod rectè perpendisse videtur Henricus Imperator, qui, in simili casu, onera sponte præstita benigne ita interpretatus est. Quod, si propter lenitatem, *inquit*, & mansvetudinem Comitis sui, etiam Comiti honoris & obsequii gratiâ quippiam de rebus suis exhibuerunt, non hoc eis pro tributô aut censu computetur, aut Comes ille vel Successores in Consvetudinem præsumant. Conf. *Christ. Lehm. in Chron. Spir. L. 2. c.17.*

§. IX.

Altera species Tributi *jure armorum & victoriæ à devictis exigitur* vel (1) *In præmium remissi rigoris bellici & vitæ ex misericordiâ donatæ.* Hinc servitus h. e. perpetua operarum in se & natis ex se obligatio utilitati Dominorum cessit. Quod quidem, ut in singulis Personis, ita & in totâ Societate obtinere non tantùm Divini præcepti esse. *Deut. 20. v. 11. & servient tibi sub tributô*, verùm etiam factô ipsô id comprobâsse Israëlitas legimus: *Et Salamon*, inquit Sacer Textus, *fecit tributarios eos, qui remanserant superstites è gladio Israëlis, 3. Reg. 9. v.15.* Conferat. *2. Paralipom. 8. vers. 7.* &

& hæc est servitus perfecta *l. 239. §. 1. ff. de Verb. Signific. Fagundez. de Justit. contr. Libr. 2. cap. 1. numer. 3.* ab omnibus ita gentibus recepta, ita ut servorum appellatio à servando sit. *§. 3. Instit. de Jure Personar. Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 5.* (2) *In pœnam violati juris antiqui*, dum Populus se legitimo summæ Potestatis imperio subducens, aut promissa eludens gravioribus mulctatur tributis, quæ tunc servitutis exhibebunt imaginem. Quo spectat Politicorum monitum observatu necessarium: *Multos dum Tributi fumum fugerint, in Servitutis ignem se præcipitâsse. Joh. Matth. de Contr. c. 1. num. 35.* (3) *Ad bellicorum sumptuum Restitutionem.* Non enim jus Principum ex solô belli Principiô spectandum, sed ex causis subnascentibus: Sicut in judiciis post litem contestatam jus sæpè parti novum paritur, præsertim, si Processus fuerit injustus: *per l. properandum 13. §. 6. C. de judiciis & L. 25. ff. de ædilit. Edict.* sic injustè bellantes ipsô factô se obligant ad sumtûs & damna resarcienda, quia culpâ damnum dant. *Bart. ad L. si quid bello 28. ff. de capt. lib.* Ità Romani, Liviô narrante, impensam, quæ in bellum facta esset, omnem præstare Regi, æqvum censebant. Et Prusiam Attalo jusserunt & damnum resarcire & pœnam insuper pendere. (4) *In signum acquisiti juris*, præcipuè si accedat (5) *Usus monetarum Victoris*, quam probandi rationem in Cæsare, Tributum ex eôdem titulô à Judæis exigente, non improbavit Servator verbis: cujus est imago ista & inscriptio? *Matth. 22. v. 20.* (6) *Ad Securitatem & victoris & victi*: Id quod ita expressit Cicero: *Cogitet*, inquit ille, *Asia, nunquam à se neque belli externi, neque discordiarum domesticarum calamitatem abfuturam fuisse, si imperiô non teneatur: id autem imperium, cum retineri sine vectigalibus non possit, æquô animô, parte aliquâ suorum fructuum, pacem sibi sempiternam redimat atq; olim.*

§. X.

Sed jam *de jure* disquiritur, an *omnes in hâc tributi specie causæ Regionem reddant Tributariam?* De *primâ* quidem & *secundâ* lis erit nulla, cùm ex Jure & Arbitriô Victoris dependeat ita, ut rectè *à Tacito inter pœnas servientium* referatur. Cavere sibi tamen & hìc solent Victores, ut & victoriâ in servitutis remissione clementer utantur erga eos, quos Libertatis dulcedo innutrivit. *Britanni enim*, olim, *delictum & tributa & juncta Imperii munera impigrè obibant, si injuriæ abessent, has æquè tolerabant jam domiti, ut parerent, non ut servirent.* Conf. *reliqua testimonia in Grotio L.3. c.15. th. 12.* Hinc felicius erat Alexandri M. in Persas regimen, relictâ ipsis antiquâ libertate, ita ut Persæ, comis suô more detonsis, in lugubri veste cum conjugibus ac liberis non ut victorem ac modò hostem, sed ut Gentis suæ justissimum Regem, Alexandrum sc. mortuum verô desideriô lugerent. *Curtius L. 10. c. 5.* Idem monitum in simili casu præbet *Machiavellus in Principe suo L.4. & sequ. Tertia* causa, *sumptuum scil. restitutio, an per modum pœnæ & subjectionis exigatur*, quæritur. Sanè cùm ad pacem veniri vix soleat injuriæ confessione, (imbecillitatis enim nota est, propriam confiteri turpitudinem) & in pactis ea sit sumenda interpretatio, quæ partes, quoad belli justitiam, quàm maximè æquat, *Grot. Lib.3. c.20. th.11. & 12. & th. 15.* difficile erit judicium, an hæc sumptuum restitutio veri Tributi nomen mereatur. Sanè si ita bellantes inter se contraxêre, (quod in dubiô censentur voluisse, cùm injustitiæ confessio vel declaratio sit res odiosa, quæ regulariter non præsumitur) ut neuter injustitiæ damnaretur, tunc si de restitutione sumptuum agatur, eandem concedi certum est, & ad inæqualitatem inter Societates tollendam, & ad deliniendos mortalium

lium inter se animos. Optimi enim Conciliatores sunt, qui iram & offensam memoriâ delent. Et sic hæc *restitutio* nomine *Satisfactionis* gaudebit, terminô omnis præjudicii experte. Exemplum ejus in Belgis in Pace Londinensi Anno 1674. conspicuum est, quâ oportuit ipsos 600. M. imperialium Regi Angliæ solvere. Ita pace quoq; Westphalicâ Germanos oportuit Svedis 5. Milliones auri, & Landgrafiæ Hassiæ 600. M. imperiales solvere. Ob eandem caussam Rex Galliæ Anno 1679. Electori Brandenburgico 3. Tonnas auri promisit, Episcopo v. Moguntino 100000. Imperialium; quis vero crediderit Regem Galliæ ideo subjectum ipsis Principibus aut inferiorem redditum fuisse? Ast ubi expressa injustitiæ additur causa, quô referas ruptum fœdus & violatum jus, ex consensu Principum mutuô ad aliud relatô, prælii scil. exitum, aut arbitrii pronunciationem, tunc ad modum pœnæ certa pecunia, aut aliud quippiam rectè sub nomine tributi aut mulctæ exigi solet. Sic Ezechias, quod fœdere cum Rege Assyriæ à Majoribus suis initô non stetisset, bellô lacessitus culpam agnoscit, promissô Regi mulctæ arbitriô. *2. Reg. 18. v. 14.* Antiqvum igitur erat Romanorum: *cave, ne ex amicô fias hostis, tum servus. Quarta* causa erit *acquisiti juris signum*, quod si pactô fuerit confirmatum, res dubiô carebit. Ubi vero simplex tantùm invasio & possessio pro titulô serviunt, quær. *an tunc occupatæ Provinciæ & oneribus victoris fatigatæ tributariæ dicendæ?* Resp. Si longa possessio accesserit, quæ jus victoris roborat, ex hujus arbitriô pendere, sub quô nomine onera exigere velit, cùm sic jure suô utatur Victor. Si verò nec pactum, nec longæva possessio præcesserit, sed temporaria tantùm fuerit agri alicujus (quem magnâ vi Exercitus ingressus est) infessio, licet tunc Victor tributa sub

nomine tributi German. Brand-Schatz exegerit, non tamen dicenda erit Regio illa in sensu propriò tributaria, licet impropriè ita dici posſit. Sicut enim quis, committendo ſe contra voluntatem Domini ſ. expreſſam ſ. tacitam (de qua vid. caſus in Becm. Tr. de Jure Recip. Exul. c. 3.) in alterius Jurisdictionem, hanc agnoſcendo ſubditus propriè ità dictus non illicò evadit ſed temporarius & impropriè talis, cùm prioris Domini jus non tollatur, ſed exercitium juris ſuſpendatur, ita eodem ſenſu Regio Tributaria eſt accipienda. Grot. *L. 2. c. 2. ſ. 25.* non obſt. Caſus Necesſitatis, qui non tollit jus Principis in ſubditos quæſitum, ſed tantùm ſuſpendit, ante declarationem voluntatis tacitam l. expresſam. *cit. G.* Adde quòd ſtatus belli *litis pendentis* naturam ſapiat, ubi tunc ante eventum juris ſuſpenſio, non deciſio obtinet. *Conf. comment. ad L. 30. ff. de Judiciis & tit. C. ut lite Pend. nulli liceat ſupplicant.* Apud Romanos quidem videtur quædam primæ quoque non continuatæ invaſionis habita fuiſſe ratio, modò occupata Regio manſuris munitionibus ita includatur, ut, niſi iis expugnatis, parti alteri palam addita non ſit. Verùm non tàm *de jure* quàm de *effectu juris* id intelligendum putamus, cùm munitionibus & præſidiis facilior exigendi Tributi paretur Executio, *Grot. L. 3. c. 6. §. 4. n. 1. & ibi notata*, non tamen eò ipsò ante belli eventum jus oriatur: imò poſſesſione tali firmatâ jus tantùm ad retentionem futuram præparari judicavit Demoſthenes. *Grot. L. 3. c. 20. th. 12. num. 2.* Quod vero (5) *de uſu Monetarum* Victoris monitum fuit, cautionem hanc præſupponit, quòd ſc. Monetarum uſus non per ſe ſit probatio devictæ gentis, cùm voluntariè recipi posſit, imprimis ſi iisdem inſit valor internus, quæ ratio eſt receptæ apud nos Monetæ Hiſpanicæ, Gallicæ, Turcicæ, Arabicæ. Verum ſi neceſſariò

ceſſariò ex vi ſummæ Poteſtatis admittendæ ſunt, notam ſubjectionis exprimunt. Hinc è contrario Belgæ fœdere Ultrajectino inſignia Philippi II. monetæ ampliùs imprimi vetabant, quia ſupremam Ejus in Provincias ſuas poteſtatem excuſſerant. *Becman. M. P. c. 18. th. 4.* *Sexta cauſa* Securitatem quidem *Victoris & Victi promovere* videtur, ſed & eandem *evertere.* Uti enim determinatio ſubjectionis arbitrii, ita etiam Prudentiæ Victoris eſt, non abſolutam ſemper à devictis exigere ſubjectionem, ſed limitatam, parte imperii illis relictâ, cùm ſæpè inviſa ſubjectionis nota non promoveat, quin potius tollat ſecuritatem Victoris: quo nomine Germani veteres laudantur, quod in captas Francorum, Gothorum, Longobardorum provincias nullum ſibi vindicabant imperium: *Marquard. Freherus de Origine comitum Palat. p. 1. c. 1.* Idem de Lacedæmoniis & Athenienſibus laudat Thucydides, de Romanis *Tacitus ad Agricol. c. 2. n. 2.* Idem de Cogiduno Rege, cui Civitates donatæ. Is ad noſtram usque memoriam fidisſimus manſit, vetere ac jam pridem receptâ Populi Romani Conſvetudine, ut haberet inſtrumenta Servitutis & Reges. De Brittannis ita verò *cap. 15.* illi *ſcil. inter ſe agitare mala ſervitutis, conferre injurias & interpretando accendere.* Ubi itaq; pars imperii relicta & præcipua ſubjectionis nota remiſſa, nec tributa quoque tunc exacta ad veram Tributorum Naturam accedent. Item Batavi olim, licet, judiciò Taciti, pars fuerint imperii & operas bellicas (operæ verò æquivalent pretio) ad nutum imperii præſtiterint, non tamen tributis (inviſo ſubjectionis titulo) contemni voluêre. *Germ. c. 29. num. 1. 2.*

§. XI.

Tertia Regionis tributariæ ſpecies *ex pacto ſpeciali* oritur, in quo, *ſi mentio ſubeundæ ſubjectionis fiat*, res dubiò

biô carebit, illam tunc propriè talem intelligi. Et negari nequit eandem admitti, cum quis jure suo scil. Libertatis cedere, illudque in alium transferre possit. *L. 21. ff. de Stat. Hom. L. 2. ff. si ingenuus dicatur.* Ita voluntariam Servitutem victus adit & quamvis junior, quamvis robustior alligari se ac venire potest. *Tac. de morib. Germ. c. 24. num. 4.* Apud Græcos moris erat, ut innumeros liberos in servitutem darent, ut ex contractûs formulâ servirent, ut id refert *Dio Prusaensis Orat. 15. Grotius Lib. 2. c. 5. thes. 17.*

§. XII.

Hæc ita, si expressè subjectionis fiat mentio. Sed jam quæritur, *quandonam tacitè Regio Tributaria in pactis intellecta præsumatur?* & Regulariter eam non præsumi, cùm Libertas sit naturalis, nec temerè abjudicata censeatur, nisi contrarium concludi possit, contrahentes verosimiliter subjectionem intellexisse, conf. *L. 10. ff. de rebus dubiis L. 14. ff. de Fid. Lib. Prukman. Vol. I. conf. 27. numer. 140.* Conferat. *c. ex literis X. de Probat.* Id quod ex conjecturis demonstrativis præsumptionem juris & de jure inferentibus, colligendum; quibus cessantibus pro Libertate in dubiô pronunciandum. Id enim Jure Gentium receptum est, ut in casu favorabilis causæ verba laxiùs sumantur, ut etiam includant *significationes improprias*, quò onus vitetur. Quâ de re JCti generalem ex *L. 16. ff. de Fidei-Commiss.* formant regulam, *ad significationes planè improprias non recurri, nisi alioqui absurdum aliquid, aut pacti inutilitas sequeretur.* Conf. *Bart. in L. si is, qui pro Emptore 15. ff. de Usucap.* Et *Dn. Brunnemannus in Commentar. ff. ad dict. leg. 10.* Sic auxilia promissa ab unâ tantùm parte intelligentur deberi impendiis ejus, qui postulabit. *Barbos. 4. Cons. 92.* Ita in quæstione, si convenerit, ne alter fœderatorum injussu alterius bellum

bellum gerere posit, hæc decisio prudentioribus placuit. Non omne bellum hîc intelligi, sed id tantùm, quod infertur, non quod repellitur, ne nimiùm coarctetur Libertas, ademptâ ita se defendendi, contra injurias tertii, facultate. Quâ ex causâ, casum inter Romanos & Carthaginenses agitatum ex *Livio* fusè examinat *Grotius J. B. & P. L. 2. c. 16. th. 14.* Eadem in causâ Tributorum obtinebit decisio, ut ejus intellectum in laxiori significatu sumi fas sit, h. e. *ne tollat libertatem Regnorum & Rerumpubl.* Hinc axioma hoc formari poterit: Quotiescunque causa subjectionis efficiens in pactô exprimitur, toties præsumitur vera subjectio, & occasione substratæ materiæ, Regnum Tributarium est præsumendum. De causis igitur veræ subjectionis lis movebitur. *Genuinas* in primâ & secundâ Tributorum specie allegatas exhibuimus, quæ, si pacto inferantur, subjectionem concludere videntur, licet & hîc limitationibus locum dederimus.

§. XIII.

Sed jam reliquas examinabimus causas, quæ communiter ad præsumptionem Regni Tributarii colligendam adduci solent: ut sunt (I) *munerum præstationes*, qualem in Oriente morem observari docent Scriptores, ut minores Principes majoribus annuas pensiones mittant, cujus rei exemplum reperitur *III. Reg. 10. v. 15.* Idem à Carthaginensibus, donô aureæ coronæ Romam missô, præstitum fuisse docet *Livius Libr. 7. Hist.* Verùm nihil *istis actionibus* præjudicii inesse ipsa munerum horum natura exigit, quæ non patitur, ut Libertatis suæ Donator pœnam patiatur, graviter ita civilitatem à damnis vindicante. *Fagund. de Justitiâ I. Controv. L. 4. c. 1. & L. 3. c. 2. C. Modestinus L. 62. ff. de Ædilit. Edict.* Summæ enim malignitatis est non vocare

care beneficium, nisi quod dantem aliquô incommodô affecit, inquit *Senec. de Benefic. L. 6. c. 13.*

§. XIV.

Quid si vero stipulatio aut promissio antecesserit, ita, ut Contractus Necessitatis esset in illis, quæ antea Voluntatis erant. *L. 17. ff. commod. Trentacinqu. L. 3. de Donat. res. 2.* Eodem verò recidit sensus, cùm ex parte dantis hîc onus implicet, quod quidem eatenus *in præstatione obligatorium* est, non verò in *concludendâ subjectione*, quoniam de hàc, tanquam re odiosâ, verosimiliter cogitatum non fuit. Natura enim obligationis ex contractu vel aliâ conventione neminem alteri subjicit, quin potiùs æqualitatem inter contrahentes desiderari, demonstratum fuit suprà: Hinc nec ex pactô publicô orta obligatio subjectionem introducit. Aliàs enim paciscentes sibi invicem subjicerentur, quod æternam confusionem induceret. Imò si promissiones sine obligatione præcedenti, sed ex merâ submissione, præstandæ imperium habendi modum imminuant, nec servari debere, si populus contradixerit (à cujus consensu imperium habendi modum dependere rectè docuit *Grotius Lib. 1. c. 3. th. 16. & seqq.*) Israelitarum conatus docet, qui Achabo ex promissione obligato restiterunt dicendo: *Non audias neq; acquiescas illi*, approbante id, concessâ Israelitis Victoriâ, Supremo Numine. *3. Reg. 20. v. 8.* Simile quid apud Tacitum reperitur *Annal 15. Consuluit inter Primores Civitatis Nero, bellum anceps, an pax inhonesta placeret, nec dubitatum de bellô.* Et huc trahendum ducimus, omnibus Regnis applicandum, quod Bodinus de Francorum Regno sentit: *Itaq; responsum à Prudentibus Philippum Bellum Francorum Regem non potuisse Arturum Armoniæ Ducem Regi Anglorum Fiduciarium elocare, nisi Regnum Franco-*

rum eodem jure à se abalienare & Anglorum Regi concedere vellet.* Id ex Cyno ad L. 1. C. de Novat. & Corneo Conf. 321. probat *Bodin. de Repl. L. 1. c. 10. p. m. 190.* Eandem rupti fœderis Tricassii, quo Carolus VI. Rex Galliæ Sceptra ad Henticum IV. Angliæ detulerat, ruptæ pacis, quæ cessionem Regni à Johanne Galliæ Rege in Regem Angliæ continebat, rationem colligunt Gallici Scriptoris. Idem à Franciscô I. Carolo, observationem pactorum petenti, responsum fuisse docet Dn. Puffendorf. Einleitung zu der Historie *c. 5. §. 17.*

§ XV.

Alia vero jam oritur Causa (II) si quis sibi munera fuerit stipulatus *ex obligatione præcedenti*, & quidem sub nomine *tributorum*, quid tunc sentiendum? v. c. 1. *Propter Patrocinium* præstitum h. e. cum auxiliô quis indigens ad tutelam sibi comparandam certum quid pensitat, *an pensio ista tributum sit verum*? Et rectè id negatur. (α) Quia naturâ homo in alterius auxilia fertur, ita ut munera tantùm sint causa svasoria, ad citius excitanda auxilia, aliàs à Naturæ instinctu dictata. *arg. l. 3. ff. de J. & J.* Eodemque tendit Ambrosii judicium de *Offic. L. 2. c. 2.* & Senecæ *de Clement. L. 2. c. 5.* (β) Imò, rectè hîc inquit Bodinus, *nec Patrocinium dici meretur, quia mercenarium est, merces autem officio non debetur*, ita, ut potiùs illi, qui mercede auxilia sua locant, servitutis imperfectæ speciem constituant. Propriè igitur hæc tributa, extra Subjectionis præjudicia, penduntur, ita ut rectiùs *pensiones sociales* dicendæ sint. *Manserunt*, inquit de Lacedæmoniis Strabo, *Liberi* nihil conferrentes præter *operas Sociales*: & Athenienses Veteres *cu-*

ram gesſiſſe pro Sociis, dixit Iſocrates, ſed ita, *ut iis Libertatem integram relinquerent.* (γ) Ipſa natura Patrocinii privati id fert, ut Libertatem alicui perſonalem relinquat. Ità *tutela* eſt vis atque poteſtas in capite libero, ad tuendum Eum, qui propter ætatem ſe defendere nequit. *§. 1. Inſt. de Tutel.* Mulier ſub Patrociniô Viri eſt, ſalvâ tamen Libertate perſonali, licet ideò Marito operas & uſum præſtare teneatur, ex naturâ Matrimonii & inſuper promiſſione Marito præſtitâ, verheiſt ihm gehorſam zu ſeyn / und zu dienen: quæ verba non ſervitutem fœminæ imponunt, cùm Socia Viri ſit, ſed utilitatem viro pro Patrocinio & oneribus matrimonii ferendis præſtandam *conf. Diſſ. de Civilit. Profic. c. 1. th. 11.* Hinc eadem quoque ratio erit Patrocinii publici, quod etiam ex naturâ ſuâ Libertatem Civilem non tollit, utpote quæ ſine imperiô intelligi nequit, dum ſcil. clientibus omnia Majeſtatis jura relinquuntur. Id quod ex probatis Juris G. Scriptoribus fuſiùs demonſtrat *Grot. de J. B. & P. L. 1. c. 3. th. 21. L. 2. c. 18. th. 2. & L. 3. c. 15. th. 6.* Excludimus vero hic *deditionem plenam*, quæ ſæpè evenit tunc, cum Populus aliâ ratione, ut ſe defendat, non habeat, & hanc jus ſuperioritatis tertio addicere, certum eſt: in quibus dedititiis ſubjectionem notari *probant Exempla Gibeonitarum Joſ. c. 9. & 10.* & Samnitum Campani verbis. *Quandoquidem noſtra tueri adverſus vim atq́; injuriam juſtâ vi non vultis, veſtra defendetis. Itaq́; & omnia in Veſtram ditionem dedimus, quicquid deinde patiemur, deditii veſtri paſſuri. Livius. D. 1. L. 7. c. 31. & 37.*

§. XVI.

Sequitur jam 2. præſumtio examinanda, an illa regionem

nem reddat tributariam: v. c. *Si quid mittatur vel præſtetur ad avertendam Potentum potentiam metuendam, ſeu ad redimendas injurias?* Reſp. *imbecillitatis* quidem nota eſt, aſt non ſemper *ſubjectionis*: imò ſæpè prudentiæ ſignum, ut, ſi metus ſit inferendæ injuriæ, & nulla avertendis illis vel vis ſuppetat, vel admonitio ſufficiat, bonitate homines à peccatis arceantur. *Grot. L. 2. c. 20.* Quod quidem in privatis quoque ita locum obtinet, ut donator ad evitationem periculi donans aliquid, nihil amittat, quin potius cauſam accipientis turpem reddat. *L. 2. pr. ff. de Condict. ob turp. cauſ. conf. L. 1. §. 2. L. 4. §. 2. ff. eod. L. 6. C. eod. L. 5. §. 1. ff. de Calum. Struv. Syntag. J. C. Exerc. 18. th. 21.* Hinc licet inter ſummas Poteſtates hæc pacta de oneribus præſtandis etiam injuſtè extorta merò *jure externô* ſerventur, *ut certi aliquid ſit in rebus humanis*, reſtitutione in integrum quoque illis denegatâ, quâ de cauſâ vide fusè *Grot. L. 2. c. 14.* Interim tamen in cauſâ nihil *ſubjectionis* (quæ tanquam res odioſa, cùm nihil expreſſum ſit, nec in dubio intellecta præſumi debet) continetur. Ita Turcæ Arabes montanos certâ Pecuniâ à Latrociniis detinent, & Juſtinianū memorat Procopius *L. 2. & 4.* certô ſtipendiô Perſarum & Gothorum incurſiones avertiſſe. Tùm verò boni & probi quoque Magiſtratus eſt, ad evitandam fœdam in bellis (in quibus aliàs impares non eſſent) licentiam, certum quid pendere. Verecunda enim cogitatio eſt ejus, qui lites exſecratur, inquit JCtus *in L. 4. ff. de alienat. Jud. Mut. cauſ.* bonique Viri id officium vult eſſe *Barboſa L. 10. c. 23. ax. 2. Carpz. P. 1. C. 1. D. 9.* Quô certè mediô id etiam ſæpè effectum fuiſſe docent Hiſtoriæ, ut bona ſæpè cauſa tranſierit ad nocentem, quod vel exemplô Hiskiæ conſtat, qui ob violatum fœdus Regi

 Aſſyrio

Aſſyrio mulctam offerens, dum ab hoc non admitteretur, bellô lacesſitus, fretus bonâ conſcientiâ vim hoſtium ſuſtinuit. *2. Reg. 18.* Deumque habuit faventem. Idem de Cruciferis refert *Cromerus L. 17.* de Helvetis *Cominæus L. 7.* Ita Romani Legatos mittebant deprecatum pro Campanis ad Samnites, & cùm repulſam tuliſſent, hi bellô feliciter victi ſunt. *Livius L. 7. c. 31. & ſeqq.*

§. XVII.

Quid v. (III) ſtatuendum, ſi *Titulus remuneratoriæ Donationis pacto inſcriptus in debitum convertatur*: ut huc referri ſolent. (1) *Dignitatis Regiæ, Ducalis, aut alterius collatio.* Hanc Pontifices ſibi ſæpè numero vindicâſſe teſtantur Scriptores omnium ætatum (illudque juris eſſe probant *arg. c. novit. 13. X. de judiciis c. ſolicitæ X. de Majoritat. & Obedi. Petrus Bellug tit. 14. §. nunc videamus num. 29. Oldratus conſ. 69.*) Et ſufficiet hic Pii V. Pontificis allegâſſe tentatum, qui Ferdinandum Imperatorem per Legatos increpuit, quod non à ſe Coronam Imperialem haberet. Sumſerunt quoque eandem ſibi facultatem Imperatores Romani, quod ex Creatione Regis Poloniæ conſpicuum eſt: qua de re in futurum fuſiùs agetur. Verum *titulus* hic nil confert *ad probationem juris antiqui*, aut ad *acqniſitionem novi.* (α) Hærent enim jura Majeſtatis in Populô tanquam Subjectô communi, à quô tanquam causâ Dignitatem Regiam quis conſequitur. *Grot. L. 1. c. 3.* Eruntque ita Pontifices Romani & Imperatores *cauſæ inſtrumentales*, ut potè aptisſimæ *ad publicationem* Regii Tituli. *Grot. L. 2. c. 9. th. 11.* Hinc rectè Pontifici reſtiterunt olim Legati Hungariæ Anno 1308, cum ille Stephanum I. à ſede Apoſtolicâ illam accepiſſe jactitaret, dicentes, ſe non id jus Pontifici unquam denunciâſſe, nec tamen prohibere, quo minus Rex Hungariæ, ſi vellet, à Pontifice Romanô coronam conſequeretur. *Bod. l. c.* (β) *Ex naturâ Dignitatis acceptæ*, quæ non illico, ſubjectionem denotat, cujus rei evidentia præbent teſtimonia Equites Ordinum illuſtrium. Hinc etiam in Legibus Ordinum à Ludovico XI. & Philippo B. Burgundiæ Duce cavetur, ut Equites, cujuscunque ordinis ſint, obſequium tamen & auxilium ſuo Principi adverſus quoscunque ferant, modò ſi contra Auctorem Ordinis ferendum, ante denunciatum fuerit. *Limn. J. P. L. 6. c. 2. th 24. n 14.* Ex quô jam concluditur, ſublatâ causâ, Superioritatis ſc., tolli effectum Tributi exigendi. Et hinc, ſi quid penſitatum fuit, ex Reverentiâ potiùs, quam debitô penſitatum fuiſſe, dicendum erit.

§. XVIII.

Ad Titulum remuneratoriæ dominationis pertinere videtur (2) *concesſio juris ad occupandas terras vel vacuas, vel poſſeſſas & ex plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ antiquis poſſeſſoribus abjudicatas.* Et hanc à multis retrò ſeculis, à Pontificibus Romanis uſurpatam fuiſſe negari nequit, ita, ut tunc ſibi proſpicere ſoliti fuerint de certis reditibus annuis etiam ſub nomine *Tributi*, id quod fuſe docet. *Bod. c. l.* Verum quo jure id factum alibi fuſiùs expoſitum.

§. XIX.

Negari tamen nequit, illos, qui & *re* & *nomine* ſecuritati ſuæ conſuluerunt, maximo niti argumento. Caveri igitur ſolet (1) *in admisſione vocis Tributi*, ſed ita, ut ejus præſtatio à dan-

à dantis, non accipientis arbitriô dependeat. Ita Alexander Vesanus (malè quidem tunc ex aliâ causâ) non quæro, inquit, quid Te accipere deceat, sed quid me dare. Quo sensu etiam admittenda Henrici Imperatoris benigna interpretatio suprà allegata ex *Lehm. L. 2. c. 17. Chron. Spir.* (2) *Protestando contra præjudicium Majestatis.* Ità cum Carolus V. Imperator à Francisco Rege petiit, ut sibi liceret Athrebatense Tributum à suis exigere Anno 1520, eidem Franciscus I. respondit, id se permissurum, dum nihil de jure Majestatis suæ detraheretur. (3) *Utendo terminis* generalioribus, ut *pensionis*: quod ab Anglis in Pace Piquiniacâ observatum fuisse testatur *Bodinus L. 2. c. 10. p. 213.* & ab Hungaris contra Germanos *Berneggerus* memorat. Hinc & Tributum à Paschali P. M. literis ad Henricum I. Regem Angliæ Eleëmosina dicebatur. Vid. *Usser. de Christ. Eccl. Succ. & Stat. c. 7. §. 8.* *Eleëmosina B. Petri, prout audivimus, ita perperam dolosèq; collecta est:* & rursus in Henrici I. literis ad Paschalam continetur: *ut dilectio & benignitas vestra à me videatur sumere initium, beneficium, quod ab antecessoribus meis B. P. habuit, vobis mitto.* Orbedæ quoq; vocem hic obtinere posse nonnulli credunt, quod à Vorbitten derivetur, fuitque olim certa species pensionis personis Ecclesiasticis debitæ, sub hoc nomine, ut hæ pro dantibus orbedam orarent: quod tamen admittere non vult Gener. *Dn. de Retz in Tract. de Orbeda c. 1. num. 7.* Terminô *muneris, largitionis* usus fuit Rex Angliæ Henricus II. ad Imperatorem Fridericum Barbarosam, verbis. *Et sicut Vestræ Serenitatis memoriam vestrorum excitat in nobis munerum largitio, sic vos nostri quoq; reminisci optamus, mittentes, quæ pulchriora penes nos erant & vobis magis placitura.* Attendite *itaq; dantis affectum, non data, & ex animô, quo dantur, excipite.* Conf. Radevic de Gestis Frid. I. Lib. I. cap. 7. & Horn. au miroir des justices *L. 4. §. de Jurisd.* (4) *Sine expressô nomine,* promissâ certâ pecuniâ, quæ præjudicii expers est. Quod Imperatoribus Germanis in usu fuisse, ex literis Solymanni ad Ferdinandum paret de Anno 1562. *Ut Tua Dilectio quotannis ad Aulam nostram pro Arrha induciarum 30000. Hungaricos Ducatos mittere teneatur. A. St. Turc. L. 1. c. 15.* (5) Ultimum remedium post vulneratam causam præbet *Cic. L. ad Attic. Ep. 4.* At enim si Patria illegitimè imperiô premitur, omnino danda est opera ejus excutiendi, etiamsi Civitas eam ob rem in summum discrimen adducenda sit. Eôdem trahendum Judicium apud *Tacit. annal. 15. & Exempl. 3. Reg. 20.*

§. XX.

Explicatâ itaque jam per species Regionum Tributariarum Naturâ, facile parabitur Judicium, quænam *propriô*, quænam *impropriô* hoc nomine veniant. Et ut clariùs ejus natura pateat, effectûs Regionis propriè Tributariæ hîc addidisse juvabit, à quibus Regiones reliquæ improprium Tributum pendentes eximuntur. Sunt verò illorum præcipui sequentes (1) *Adempta belli & pacis jura*, quæ causa Portam Ottomannicam eo adduxit, ut Rackozium se insciâ & inconsultâ Ao 1656. arma contra Polonos moventem Principatu suo ejecerit. (2) *Signa Venerationis Subjectionem denotantia.* Ita Moscovitas olim Legatis Tartaricis obviam processisse & stantes à sedentibus illis apertô capite audivisse Decreta, testatur *Baro ab Herberst. de Reb. Moscov. fol. 8.* Cæterùm viginti Reges Indiæ Regi stantes servire, docet *Mandeslo*

deslo L.I.c.28.& seq. (3) *Pœna ob delictum subeunda*, quam Romanis sæpè dedisse provincias tales notat. *L. non dubito 7.ff. de Captiv.* (4) *Patientia præsidii admittendi & transitûs concedendi.* Cujus rei evidens præbet hodie Testimonium Moldavia. Supervacaneum autem jam erit longâ Exemplorum Serie uberiorem decisioni nostræ addere sensum, quem ex specialiori propositi argumenti deductione eruendum nobis sumsimus.

SECTIO II.

In Quâ POLONIA NUNQUAM SUBJECTA AUT TRIBUTARIA FACTA.

Rationibus à nominum impositione, indole, moribus, ortu, lingvæ & vestium exterarum usu, &c. &c. petitis exhibetur.

§. 1.

Poloniam nunquam exteræ genti subjectam, aut tributariam fuisse, ut evincam, suadent amor patriæ debitus, & bonæ causæ fiducia. *Scopus materiæ.*

Ampla seges est, cui accingor. Non ab unius historiæ præjudicio momentum operis pendet; Ab ipsis Reipublicæ primordiis ad nostram usq; ætatem annales conquerendi, & Vetustatis æque ac novitatis monumenta evolvenda veniunt. *Difficultas de illâ scribendi.* Difficilem reddit conatum patriorum, in antiquis præcipuè, scriptorum defectus. Recentiores non desunt, sed quorum fides ob præsumptum in patriam affectum dubia reddi posset. Ab exteris ergò præsidium petendum; sed quàm imbelle, imò & adversum sæpè! ut quisque eorum vel amore in suam gentem, vel odio in nostram, vel privato iræ aut vindictæ affectu ducitur. Hæc illa impedimenta; quæ me diutiùs ab

Veritate tamen nititur. absolvendo opere inchoato distrahebant. Non tamen demisi animum, in causâ tàm æquâ, tamque dignâ, ut posteris tradatur. Veritatis fiduciâ erigebar, eamque difficili licet conatu, in profundo verè puteo latentem reperi. Non potuit verò illa adversarum partium testimoniis ita obrui, aut aliquis ita tegi, ut non l. invitis ac renitentibus iis, justâ quâdam vi, se opponeret, ac in lucem erumperet. Haud levem suspicionem incurrunt, exterorum scripta, non diffidentia tantùm inter se, sed & pugnantia; adeò ut, in certamine isto, pro libertate Reipublicæ polonicæ, tanquam re favorabili, stet æqui bonique ratio: *Inter diffidentia testimonia illud maxime naturale, quod pro libertate est.* Hâc fretus, egregiam quidem, in tractando hoc argumento, præstitit operam *MARTINUS CROMERUS*, Vir dignitate illustris, doctrinâ & rerum Experientiâ inter paucos: Mereturque certè fidem ingenua relatio magni Autoris, cui monumentorum publicorum ex Archivo â Sigismundo AUGUSTO, gloriosissimæ Memoriæ Rege facta Copia; Meretur fidem, eamque indubiam eò, quod recti verique semper amans habitus inter adulationem & odium iverit, quo jussit veritas; Sed sparsim ab illo gestum negotium; sæpè contemptim, sæpè neglectim habitum; Conscientiâ fortè veri. Eâdem fortè certitudine plerique Annalium Polonicorum scriptores securi argumenti istius vim, arreptâ, ut se obtulit, occasione, tetigerê magis, quam deduxerê. Promissa â *Gliznero* opera, an impensa, incertum. Nostrâ quidem ætate, cum Celeberrimus Germ. Poly-

Cromeri conatus in hoc argumento. cur non absolutus? fides ei tamen habenda.

Promissa quoque à Gliznero & Marinio opera, non impensa.

Polyhistor, Hermannus Conringius animosè hanc sententiam oppugnaret (*Libro de finibus Imperii cap. 18.*) pro eâ defendendâ se scripturum pollicitus est, quidam Franciscus MARINIUS; (cui Johannes SAX, gentilitium nomen erat Libr. de scopo Reipubl. Polon.) sed fœtus hic desideratissimus, aut in partu suffocatus; aut, si in lucem editus, velleris cujusdam aurei instar alicubi locorum, custodiam promeritus est arctissimam. Permovit ergò id clarissimum virum M. CHRISTOPHORUM HARTKNOCHIUM, ut desperans, de promissæ operæ exitu, ipse sententiam suam paucis aperiret, (*lib. de republ. pol. 1. cap. 2. §. 9.*) ne quid intactum relinqueret, aut utilitati operis sui utilissimi, neglectâ hàc materiâ, aliquid, decederet. In istius præcursoris Vestigia ire, gloriosum mihi duco. Tradam ingenuè, ut res erunt, nec tradendis fidem defuturam metuo, cum omnibus voluminibus, ex quibus præsens opus compilatum, evolvendis, ac perlegendis, præcipuum ac indefessum mihi fuerit studium. Non arrogo mihi judicium, in Polyhistorem illum German. cujus in re literariâ meritis lubens assurgo, nec in quenquam alium sententiæ nostræ oppugnatorem. Nihil de meo confero: Judicia sunt scriptorum, labore meo congesta.

Sententia Hartknochii brevis quidem sed optima.

Qua methodo opus hoc compilatum.

§. II.

Polonos antiquissimæ gentis Sarmaticæ posteros esse, è patriis æque ac exteris monumentis luculenter constat. Non fors aut adulatione quâdam nomen illis inditum, dum

Argumenta libertatis à nominū impositione.

dum σαυρόμαται, græcis dicti, idem sunt, quod gens, *oculis vipereis*, instructa h. e. terribilis, armis potens, vincere non vinci svera; derivante ita vocem hanc *Gwagvino* (*deductione ac Origine antiquæ bellicosæque gentis Sauromaticæ*, *pag. 3.* Nec est, quod *Cluverius*, & cum eo *Pastorius* derivationem hanc, ut ineptam, explodant (*Dissert. Philol. de Originibus Sarmat. pag. 17.*) Non insolitū enim esse solet ex Vultu augurium; quod jam de Gothis, SAXO DANUS tulit. *Ecce*, inquit, *Truces oculis Gothi, visuq; feroces cristatis Galeis, hastisque sonantibus instant. lib. 2. pag. 30.* Quid vetat ergò, ex tàm consonâ cum vitâ ac moribus gentis nostræ appellatione, idem definire, & probabilem istam nominis conjecturam, è rerum gestarum conformitate illustrare? Non infert præjudicium libertati nomen *Slavorum*, Sarmatis proprium. Errant, qui eos *Sclavos* appellant, quasi indole, moribus & subjectione servili mancipia quædam fuerint. Ex mollitie linguæ Italiæ ortus error, mutatâ voce *Slavo* in *Sciavo*, seu rectiùs, *Schiavo* (*Cromerus lib. 1. cap. 8.*) vel etiam Græcis id imputandum, quibus σκλαβηνοὶ dicti, apud *Theophylact. Simocattam L. 1. c. 7.* Laudi potiùs cedit nomen, postquam Seculo circiter quinto & sexto Sarmatæ, devictis quasi tot gentibus, *Slavorum*, à *Slava*, (quod famam & gloriam notat) dictum nomen sibi imposuêre, eruntq; idcircò *Slavi*, seu *Slavini* aliis dicti, iidem qui gloriosi. (ibidem) HART-

Sauromatarum nomen unde.

Slavi cur ita dicti.

Non dicendi Sclavi. & unde hic error.

(HARTKNOCH *Lib. 1. cap. 1. thes. 4. pag. 14.*) Sunt quibus placet *Scytharum* nomen etiam in Sarmatas transiisse: testibus *Plinio Lib. 4. naturalis Historiæ cap. 12. Nicephoro Gregora. Historiâ Romanâ lib. 2. pag. 15.* Quos quidem suo sensu abundare patimur; eo tamen ipso nihil gloriæ genti Polonicæ decedet, cum de illis ipsis Scythis s. Sarmatis, ita judicet Nicephorus dicto loco. pag. 16. *Scythæ, quibus arma inferunt, eos plerumque vincunt, & alienis regionibus dominantur. Eorum verò patriam Scythiam nemo unquam ab omni ævo domuit.* Jornandes *indomitam Scytharum Nationem appellat*: *L. de rebus Gothorum Sectione 2. Initio*: & Justinus memorat; gentem Scytharum militarem esse, & ad res magnas aptissimam, rectèque exinde concludit ita *Pastorius.* Sanè *si tales fuerunt Scythæ, quales ab his describuntur, non est mirum, eos, qui moribus adeò antecellebant, armis quoque cæteros superasse. Certè ut nationes ab illis devictas jam mittam, ipsos utiq; aliarum nationum domitores, magnis stragibus affecere.* Dubium vero ex ipsâ nominis derivatione emergere videtur, dum Sveci, *Scythas* à *Skuta* latino, *sagittare*, dictos volunt, eòque non in Sarmatarū regione, sed in Sveonum, antiquas sedes habuisse adstruunt; Patrono causæ LUNDIO *in Zamolxe suo cap. 1. §. ult.*) Verùm incertæ hæ sunt conjecturæ, cum ipse *Nicephorus*, ab exteris nomen hoc Scytharum inventum testetur, eosque propriam suam appellationem suâ lingvâ

Scythæ an dici possint.

Ideo semper invicti.

An à Skuta derivatio justa.

Ab Exteris impositum nomen.

guâ nosse (*dicto loco pag. 15.*) Getarum nomen Scythico sæpè jungi solet, utrumque Sarmaticum sæpè vocatum, deducente id fusiùs Pastorio. *pag. 40. & seqq.* Sanè gloriosum est, non alii genti debere originem suam, sed proprium & certum habere sui autorem. Terrâ enim quasi Matre Gethas nostros editos esse, innuit Terminus γᾶια, terra, â quâ Getharum nomen derivatum; Quanquam in favorem nationis suæ LUNDIUS dicto loco §. 2. a *Goia* terra, vel â *Getha*, parere, deductum terminum velit. Prævalebit verò conjecturæ nostræ ratio, ubi clariùs primam Sarmatarum originem inferiùs exponere contigerit. Nec ignobilis est vocabuli *Henetorum* (iidem hi qui Poloni, ut inferiùs patebit) origo. Jornandes enim Henetos i. e. laudabiles appellat. *de Rebus Gothicis c. 29. & VARNEFRIDUS lib. 2. de gestis Longobardorum c. 14.* Heneti, inquit, *Licet apud Latinos una litera addatur, græcis laudabiles* dicuntur. Sed transmittam argumenta, â nominibus dictis, aliisq; plurimis petenda. Sola Sarmatarum in alio adhuc sensu accepta appellatio pro invictâ Polonicæ gentis fortitudine militat. Sauromatas enim dictos vult *PHILIPPUS MELANCHTON*, quasi *duces altitudinis*, quod quidem intelligit *de regione arduâ, quia assurgit terra versus Septentrionem. lib. 1. CHRON. CHARIONIS.* Non alieno tamen â vero sensu ad indolem gentis applicari poterit, quod nimirùm eadem ad altas & magnas res gerendas aptissima sit, ut patet

An Poloni Getæ fuerint

Dicti â γᾶια.

Hinc αὐτόχθονες sunt.

Non â Sveca voce, Goja.

Quæ significatio appellationis Henetorum

Melanchtonis de Sarmatarum significatione judicium.

A Rebus gestis Duces altitudinis dicti.

patet ex allegato *Justini* Loco. Omnium ferè optimè *Pastorius* pro gloriâ invictæ gentis nostræ, *Sarmatas* â *Sar* (quo Dominus vel Princeps notatur,) & *meod* (idem hoc, quod valdè aut multùm) deducit. *Nec fallit*, ut ipse judicat, *nominis indicium, si amplitudinem terrarum populorumque lingvâ Sarmaticâ utentium latusſimè sanè diffusam spectes. Si porrò sarmatarum illos præcipuè respicias, qui summâ libertate fruuntur, ingens sanè eorum Dominium dixeris, qui nullas leges agnoscunt, nisi quas ipsi sibi posuerint. pag. 18.*

Pastorii conjecturâ Polonis laudi cedit.

§. III.

Indoles gentis inspicienda venit, quæ divinâ promissione imperio, non servitio destinata. Ex Japheti enim Progenie nata, benedictionis divinæ fructu privari nequit. Gen. IX. v. 25. *verbis: dilatet Dominus Japhet, & habitet in Tabernaculis Sem, sitque Canaan Servus ejus.* Quo Noachi vaticinio, communi ferè Interpretum consensu, privilegium quoddam libertatis concessum Europæis, innuitur, adeoque in favorem nationis nostræ, ut pote Europææ, non iniquè tractum â *KADLUBKONE Historiæ Polonicæ pag. VI.* Quamvis in Posteritate Japheti deducendâ nimis sibi indulgeat. Egit verò illa libertatis dulcedo, succedentibus annis, tàm firmas in animis gentis nostræ radices, ut Regium, aut Despoticum Regimen pati vix potuerit, diverso quasi ab Orientalibus more; *Hos* enim *Regi svetos jam olim notavit* Tacitus. Histor. IV. c. 17.

Argumentum ab indole nationis liberâ.

Sunt tamen Japethi posteri.

Regimen in Polonia non despoticum sed paternū.

c. 17. Et Juſtinus de Cappadocibus refert; *illos negaſſe gentem ſuam poſſe ſine Rege vivere.* Alia mens Polonis fuit, quam *Procopius* diſertis verbis ita exprimit: *Nationem illam non unico aliquo homine regi, ſed ab antiquâ plebejâ communius libertate vivere. Libr. III. de Bello Gothico Cap. VII. p. 542.* Sed ne fides Annalibus quibusdam deſit, in quibus non rejicienda de Regum apud Sarmatas Imperio extant monumenta; dicendum erit, Reges illos impropriè dictos fuiſſe, ambiguo vocis ſono, vel externâ rerum ſpecie erroris iſtius causâ. Argumento Grotii *Lib. 1. cap. 3. Theſ. 10.* Eadem fortè Regum iſtorum poteſtas, qualem *THESEUS* in Athenienſium Republicâ habuit, ipſe de ea ita diſſerens apud Euripedem. - - - - *Hæc Juris ſui, Parere Domino civitas uni negat; Rex ipſe, populus annuas mandat vices, honoris huic, illive.* Quæ verba, Interprete Plutarcho, hunc ſenſum habent: *Theſeum belli tantùm Ducem & Legum cuſtodem egiſſe, cætera parem civibus.* (conf. pluribus Grotius dicto loco Theſi 8. num. 11.) Manent verò antiquæ illius Libertatis reliquiæ in Regno noſtro in hanc usque ætatem, ut non δεσποτικὴ Regibus in ſuorum vitam & facultates ſit poteſtas. Tributa nulla imponunt, niſi quæ ordines Regni unanimi conſenſu concedunt. *Piaſecius in Chron. pag. 50.* Dixeris Regium officium apud nos paterno ſimilius, quàm herili. Hæc, Polonorum libertatis dulcedine innutritorum indoles eſt, hæc animorum naturalis generoſitas, ut

Secus ac apud Orientales.

Primorum Regum apud Polonos quæ poteſtas?

Concluditur.

ut extrema exſpectaturos & maximè ardua experturos, certiùs præſumendum ſit, quam ut, ignominioſo ſubjectionis aut Tributi pendendi titulo, exteræ genti alicui obſtringi ſe patiantur.

§. IV.

Præſumtio juris N. & Gentium pro Polonorum libertate.

Ipſo Naturæ Jure docemur; *libertatem*, ut ſingulorum, ita *integræ cujusdam ſocietatis maximè naturalem eſſe*, niſi vi aut Jure prohibitam (*§. 1. Inſtitutis de Jure Perſonarum*) Idem enim eſt magnarum ſocietatum inter ſe reſpectus, qui ſingulorum; ut par in parem nullum Jus habeat, niſi ex juſtâ causâ acquiſitum: docente id *Grot. lib. 3. cap. 7. §. 1. & de Mari libero cap. 2. & 4.* Et Jure Gentium, *diſcretæ ſunt gentes, Regna condita, Dominia diſtincta, agris termini poſiti. l. 5. ff. de Juſt. & Jure.* Sarmaticam itaque gentem ſubjectam alicui aut tributariam fuiſſe, ex ſolâ quâdam præſumtione colligere velle; eſſet vim Juri naturæ gentiumque inferre. Stat, pro libertate Gentis, Naturæ Gentiumque Juris præſumptio, donec contrariis elidatur documentis. *Leg. 24. ff. & 16. Cod. de probationibus.*

§. V.

Variæ de origine Gentis ſententiæ.

Ab ipsâ Nationis origine inchoandum, & in tantâ circa illam ſententiarum diverſitate, vera ac monumentis antiquis conſona exponenda primùm erit. *Gomerum* filium Japheti, eundemque Nepotem NOÆ, tres genuiſſe *filios* ASCENAS, RIPHAT, & THOGARMA dictos, Sacræ Paginæ Teſtimonio conſtat *Gen. X. v. 2. 3.* Hic in

Tviſconem conditorem Gentis noſtræ fuiſſe creditur.

in partes eunt diverſas, eruditorum conjecturæ. GOMERO filius Tvisko. h. e. ASCENAS. tribuitur, à quo TVISKONE. Germanam Sarmatamque gentem ſimul conditam fuiſſe, Beroſo Autore, creditur: Refert is enim; *Janum Patrem hunc Tviskonem conſtituiſſe Regem Sarmatiæ, à Ponto Euxino usq; ad Rhenum. Lib. 1. fol. 10. & Lib. IV. fol 30.* In quam ſententiam eunt *Aventinus Lib. 1. Annal. Bojorum*, *Jodocus Willichius in Commentar. ad lib. Taciti de moribus Germanorum pag. 423.* Mutius *de Germanorum primâ origine p. 3.* *Micrælius in Chron. Pomeraniæ Lib. 1. num. 22.* non renuente hic planè *Gvagvino*, niſi quod KRANTZII opinionem ex iſtâ hypotheſi, longiùs quàm par eſt, extenſam rideat, ut mox notabitur.

A Riphat. Riphæi, Paphlagones & Heneti. i. e. Poloni derivati.

Glitſchnerus ab *Aſchenas* GOMERI Filio, *Aſcheneos* & à *Riphat* altero GOMERI filio, *Ripheos* deducit, Joſephi autoritate fretus *Lib. 1. Antiquit. cap. XI.* Hos Ripheos, ejusdem teſtimonio, *Paphlagones* dictos præſupponit, quorum Paphlagonum primarios fuiſſe henetos ſ. VENEDOS, h. e. Sarmatas, *ex Homero, Iliad. 11. pag. 99. Herodoto. Lib. 1. p. 92. & Lib. V. pag. 336. Strabone Lib. XII. Geograph. pag. 373. & Lib. I. pag. 26. 32. Lib. IV. pag. 117. Tito Livio Lib. 1. pag. 2. MESSALA CORUINO Lib. de Roman. Hiſtor. Ptolomæo Lib. 3. pag. 79.* luculentiſſimè conſtat.

Approbatur ſententia.

Hûcusque ſalva res eſt, annalium antiquorum monumentis munita; imprimis ſi allegatis Teſtimoniis addere placuerit *Plinium Lib. VI. cap. 2. & 4. LEANDRUM ALBERTUM in Marchia Tarviſina pag. 711.* Antonium

tonium SABELLICUM Ennead: 1. *L. 7. p. m. 108.* E recentioribus, PHILIPPUS MELANCHTON conformem noſtræ conjecturâ his verbis exprimit: *Notiſſima eſt appellatio Ripheorum montium; de quibus etſi quid alii ſcribant; non ignoro tamen: in illâ parte ſeptentrionis hæc appellatio celeberrima fuit, in quâ fuere Sarmatæ & inter Sarmatas heneti. Lib. 1. CHRON: pag. 27.* Idem ſentit *Georgius SABINUS* VIR in antiquitate verſatiſſimus, cujus de hoc argumento in *Epiſt. ad Stanislaum Jaduzium* verba ſunt ſequentia: *Non dubium eſt, Polonos gentem Henetam fuiſſe, quæ & in Aſiâ vicinâ fuit, genti omnium laudatiſſimæ, & cultiſſimæ Jonicæ & poſteà duce Antenore in Europam ducta, propinquas Græciæ ſedes in Illyrico occupavit, & tenet etiam nunc annos ad hoc tempus poſt bellum Trojanum circiter bis mille ſexcentos. Inde progreſſi ſeptentrionis oram ad Iſtulam complevêre.* Quibus omnibus ſuffragantur *CASPAR PEUCERUS in CRONICI Philippi complem. part. 3. Lib. 4. & Paſtorius dicto loco p. 31. & ſeqqv.* Liberalior jam verò fit Glitſchnerus, dum *Wandalos* etiam Sarmatarum Nationi immiſcet. Exploſa jam hæc opinio ab Hartknochio, qui Wandalos, Teſtibus PLINIO *Lib. IV. c. 14. & TACITO Lib. II.* Germanos fuiſſe, & à Sarmatarum moribus planè diverſos demonſtrat. *Lib. 1. de Poloniâ cap. 2.* Non enim confundendi ſunt *VENEDI* cum *Wandalis*, illos Sarmatas ſeu Sclavos fuiſſe diſertis verbis Aventini conſtat, *Lib. 1. annalium Bororum.* Nec eſt, quod

Venedi tamē cum Vandalis non confundendi.

Vindicatur Cromerus ab affictâ illi mente.

CROMERO *lib. I. cap. IX. XII. XVI.* mentem suam affingat, cum ibi non de *Wandalis*, sed de *Venedis s. henetis* sermo sit, idemque autor contrarium sentiat *cap. V.* longâ serie deducens; Wandalis nihil commune cum Polonis intercedere. Miechowii & Decii allegatorum (*CHRON. cap. V. pag. 7. & in vetust. Polon.*) Autoritati Judicium CROMERI opponimus, ex Præfatione: *Non magnopere, inquit: illos versatos in exteris historicis, quæ Polonica scribenti magno adminiculo esse poterant, nonnunquam perplexos esse, nec sibi constare, nec rationem temporum tenent.* Aut forte eâdem censurâ notandi dicti autores, quam *Stanislaus Sarnitius in Annal. Polon.* apud Hartknochium incurrit; quod nempe Vandali cum Venedis nullo argumento confundantur. Dicto *lib. 1 c. 1. pag. 8.*

Miechovii & Decii testimonia rejiciuntur.

CRANTZIUS longiùs procedit, dum *Sarmatarum* sed *Slavorum* originem *Germanam* esse, ex frequenti apud illos lingvæ & vestium germanarum usu deducere conatur, ineptâ certè concludendi ratione, mox explodendâ. Placet quibusdam alia conjectura; THOGARMA, tertium Gomeri filium, Sarmatarum conditorem fuisse, apud Jonston. *in Polyhistore suo Tom. 1. lib. 2. pag. 13.* Plurimorum tandem sententia *Japheti* posteritatem esse dictos Sarmatas agnoscit, verùm circa filios ejus vel etiam nepotes non uniformis; CROMERUM in singularem fortè pertraxit opinionem nominis, Sarmatæ cum *Hassarmat*, similitudo. *Ab hoc, inquit*

Thorgama an autor Gentis nostræ.

Hassarmat è prosapia.

quit, Sarmatæ, quem Moses & Josephus, ASARMOTEN vocant (Gen. X. & lib. 1. antiquit cap. 14.) Istri sive Jectani filios & ipso ex Noa sed per Semum filium descendente nomen & genus duxere. lib. 1. cap. 7. circa finem. Non dissentit planè Pastorius *pag. 17.* qui cum *Aria Montano* & *Sarnitio*, ob facilem hunc verborum flexum, sine injuriâ Ethymologiæ, sententiæ Cromerianæ insisti posse autumat, *pag. 17. & 18.* ubi tamen necessitatem sequendi argumentum hoc tanquàm apodicticum non imponit, relictâ cuivis aliud quippiam sentiendi libertate. Bocharti nova quædam & specialis conjectura, quâ Sarmatas â *Sar* & *maddai* deducit, ut sic Medorum reliquiæ sint, an in recessu quid habeat, ipse dubitare videtur, cum timidiusculè hanc derivationē proponat: observante id Pastorio; Patebitq; inferius, Sarmatorum gentem αὐτόχθονα esse. Cromeri denique sententia continuanda restat, qui Sarmatas nostros â Roxolanis, seu Russis venisse probare conatur. *cap. X.*

Semi an fuit conditor Sarmatarum.

Vox composita Sar & Madai innuit Sarmatas reliquias Medorum esse.

§. VI.

Hæ sunt præcipuæ sententiæ, quæ Poloniæ nostræ præjudicium subjectionis plenæ aut minus plenæ, ab ortus argumento, inferre possent, facili tamen negotio refutandæ. *BEROSO*, Autori supposititio Annii Vitterbiensis operâ edito, etsi non mereatur, habeamus hîc fidem; Sit *Tuisko* ille germanæ gentis conditor, idemque *Rex simul Sarmatiæ*, nulla inde sequela; Sarmatas â germanis ortos esse, cum utrisque eadem ori-

An ex istis conjecturis præjudicium libertati Polonorum enasci possit.

Tuisco germanæ gentis conditor Rex Sarmatiæ;

 go,

Is non germanus, sed germanicæ & Sarmaticæ gentis simul cõditor.

go, utrisque idem conditor TUISCO, qui non germanus, sed germanicæ æque ac Sarmaticæ gentis fundator dicendus. Et si Funkii opinio admittenda, qui ab *Ascenathe* Gomeri filio, hoc est; *Tuiskone Sarmatos maximos populos, qui nunc Tuiskones sunt,* deducit in *Chronolog. pag. XI. n. 16.* Sanè germanos à Sarmatis ortum traxisse, non infirmâ ratione concludi poterit. Quanquàm pro conciliando Beroso, ne confusio utriusque populi Sarmatici & Germanici inferatur, ex ratione diversi situs, distingvi possent *Sarmatæ* accolæ Ponti, â Sarmatis germanis, accolis Rheni, ut patet ex *Libro V. pag. 38. 40. 41. 43.* Sed gaudeant porrò Germani *primogenituræ Jure*, dubio etsi jam reddito, nullum indè primogenitis in Secundogenitos Jus est, â naturâ, vel gentium consensu constitutum. Liberi enim omnes *iisdem æqualiter parentibus orti iisdem gaudent* parentum juribus; ob hanc præcipuè causam, quod æque parentum liberi sint, & à Parentibus omnes æque agnoscantur, adeoque omnes juris repræsentandi sine distinctione æque capaces sint: ut subtilissimê ita differit Celeberrimus *Becmannus: politicis parall. cap. 8. §. 7. & fusius Engelbrecht de Jure primogenituræ.* Nec ex illâ regni Sarmatici cùm Germanico sub *Tuiskone* conjunctione, subjectionis argumentum petendum. Quis enim ignoret; multa sæpè regna commnunem posse habere Regem, non tamen verè unita, cum quodlibet eorum, suo Jure ac proprio, â communi Principe regatur. Grot. *Lib. 2. cap. 9. §. IX. & X.* Neque enim, ut in

Germani â Sarmatis orti cur dicendi.

Conciliatur Berosus distingvendo inter Sarmatas Ponti & Rheni.

Germanis ex primogeniturâ nullum jus in Sarmatas.

Quomodo Sarmatia conjuncta fuerit vel accessisse dicenda Germaniæ.

in naturali corpore, non potest caput unum esse plurium corporum, ita in morali quoque corpore Nam ibi eadem persona, diversâ ratione, considerata caput potest esse plurium ac distinctorum corporum; cujus rei certum indicium esse potest, quod, extinctâ regnatrice domo, imperium ad quemque populum seorsim revertitur. Sic etiam accidere potest, ut duæ Societates arctissimo inter se fœdere colligentnr, & faciant σύστημα quoddam, neque tamen singulæ desinant statum perfectæ civitatis retinere. Idem. *L. 1. c. 3. §. 7. n. 2.* Hæc regnorum Arragonici cum Gastellano, Anglici cum Scoto conjunctorum conditio. Et egregiè Bœclerus: *Uniri societates duas diversas, ut maneat quæque, quod fuit, non possunt, nisi per modum arctioris fœderis, quod imitatur quidem naturam unius societatis s. civitatis, Civitas tamen, ut accuratè nunc vocabulo utimur, non est.* Cujus rei celebria Exempla Polittici agnoscuut, in concilio Amphyctianico & Achæorum societate, quam & ob similitudinem & τὸ συμπολίτευμα Achæorum Rempublicam appellitant *Dissert. 1. fol. 36.* Quid vetat idem de Sarmatorum Germanorumque conjunctione statuere? Diversæ fuerê gentes, amico fœdere, Regisque unius Imperio junctæ, ita ut ab exteris forte, quanquàm perperam, creditum fuerit, in unam gentem coaluisse: nullo tamen documento evincitur; ita Sarmatas accessisse Germanis, ut Sabini olim accesśere Romanis, ut una civitas esset, Romana scilicet, Sabinis in communionem Juris

Possunt duo regna ab uno regi, Salvâ alterutrius libertate.

Juris à Romanis adſcitis, & imperio duumvirali ad tempus inſtituto, manente nomine regio. Ita enim Livius de Romulo; *Accepit Tacium Sabinorum Regem in regni ſocietatem Romulus, nempè quando interventu mulierum uterque populus non pacem modo, ſed & civitatem unam ex duabus fecerunt, regnum conſociarunt, imperium omne contulerunt Romam.* Inania ergò quædam ſimulacra de nomine Sabinorum uſurpata eſſe, rectè judicat. *Bæclerus dicto loco fol. 34.* Multò minus rectè concluderetur; ita Germanos & Sarmatos unitos fuiſſe; ut de Celtis & Iberis refert Diodorus, eos nempe *Celtiberos* factos dictosque; deducente id pluribus Reinkingio *L. 1. Claſſe IV. cap. 17. n. 95.* Ex Tacito enim Plinio, aliisque antiquis monumentis conſtat, Sarmatas ſemper à germanis diverſos fuiſſe, imò etiam ſucceſſu temporis, morum, vitæ, veſtium, belli gerendi diverſitatem amâſſe.

Niſi acceſſio vel conjunctio fiat per modum ſubjectionis.

Ex Germanis & Sarmatis non facta una natio.

§. VII.

Temerarium verò eſt, quod Crantzius tradit, Polonos ſcilicet è germanâ gente ortos eſſe, ob cauſam frequentis in Sarmatiâ lingvæ germanicæ uſus; cui argumento Gvagvinus nullam vim ineſſe ita infert: *Si enim Slavi vel Sauromatæ ex Germanis oriundi eſſent, eâdemque cum eis antiquitus lingvâ uterentur, Sarmaticæ ſive Slavonicæ linguæ apud Sarmatas uſus unde ortus eſſet? quâ hæ gentes paſſim & vulgariter, ut pote innatâ, utuntur, habitu quoque*

Crantzii argumentum à Lingvæ Germanicæ, in Slavonia, uſu depromtũ refutatur.

quoque moribus, & vitæ conſvetudine, Sarmatæ à Germanis penitùs diverſi ſunt, quod etiam Plinius approbat. Cromerus abſurdum conſequens demonſtrans, ita diſſerit: *Polonos* certè *Italos, Latinos,* adde, Gallos eſſe, *ſi ex ſermonis uſu id colligendum. lib. 1. cap. 7. pag. 12.* Et alibi, communem illum errorem Crantzii explodit, quod Vandalos, qui Germani ſunt, cum Venedis ſed Slavis confundat; *cap. 5. pag. 9.* Cum tamen jam ipſe Jornandes, ſeculi VIti ſcriptor, inter *Vandalos* & *Venedos* ſeu Sarmatos diſcrimen faciat perſpicuum. Et *Paulus Warnefridus lib. 1. cap. 1. in fine.* Vandalos è germaniâ prodiiſſe, diſertis verbis teſtatur. Sed annuamus votis Crantzii, & momentum quæſtionis faciamus: *an Poloni, ob receptum Lingvæ Germanicæ uſum, in poteſtatem germanorum transiiſſe dicendi ſint?* Equidem non infrequens eſt, id videre in devictis regnis, & rebuspublicis, quæ veluti totæ in poteſtatem victoris tranſeunt, ſic etiam ratione Idiomatis; Quia enim deſinunt ſui Juris eſſe, jus idiomatis quoque non ampliùs prætendere poſſunt. Par quoque ratio partium regnis aut rebuspublicis majoribus unitarum, quas componi oportet ad rationem totius: Veluti in provinciis romanis, lingva romana publica fuit, ſicut hodiè apud Bearnenſes publica eſt Gallica; & de Mauris Granatenſibus refert L. Marin Siculus *Lib. IV. fol. 328. Videmus, inquit; Granatæ Regni populos barbaricæ gentis à catholicis Principibus devictos, Chriſtianorum conſvetudine atque convictu lingvam noſtram, quam vulgò Caſtellanam*

Slavi non Sclavi dicendi.

Vandali & Venedi non iidem.

Neceſſaria receptio Lingvæ exteræ ſignum ſubjectionis, eſt non voluntaria.

nam vocamus, jam omnes didicisse, suamq; propriam, vernaculam & nativam oblitos penitùs. Hæc & alia doctissimè exposita vide in celeberrimi Becmanni Dissert: *de Jure Idiomatum cap. 1. §. 16. pag. 29.* Eodem verò Autore, causæ nostræ Patrono, uti liceat, distingvendo inter *lingvam vulgarem* & *publicam*; â *publicæ* recipiendæ necessitate, argumentum subjectionis petendum, non â *vulgaris* usu: dicto loco. Sit ergo in quibusdam Poloniæ Regionibus Germanicæ Lingvæ tanquàm vulgaris usus, publicam tamen illam unquam fuisse, nullis documentis evinci poterit. Semper enim Slavonicæ in regno nostro, ab omni ætate usque ad nostram, publica fuit autoritas. Imò si lingvæ alicujus, ut publicæ, in aliis regnis, publicâ autoritate, receptæ usus, indubius subjectionis effectus est; dicendum erit; Sarmatarum Imperium longè lateq; per Orientē patuisse: nam & in ipsâ *Aulâ Turcicâ* Lingva Slavonica ut publica recepta & *Imperatoria* illic locorum dicta. Teste Balbino *in Epitome rerum Bohemicarum libr. 1. cap. 10. fol. 71.* Gloriosius adhuc de eâdem Angelus Rocha testimonium præbet. *Hæc*, inquit, *Lingva in Græciâ, nec non Constantinopoli in Ottomannorum aulâ familiaris: & nuper in Ægypto, apud Memphiticum Sultanum, & Equites Mamalucos haud ingratis auribus audiebatur. Per universam autem Turcicam gentem, præcipuè verò apud milites, Sclavonica lingva adeò est in usu, ut Constantinopolis ipsa jam non ampliùs prisco nomine, sed Cæsaris Domus, Sclavonicâ vocetur lingvâ* Bibl. Vatic. Append. *fol. 336.*

Distingvendū inter lingvam publicam & vulgarem.

In Polonia, Germanica lingva nunquam fuit publica.

Slavonica lingva in aliis regnis ut publica habita, dominationis indicium est.

336. & 337. Quam imbelle verò alterum, â vestium receptione, sit argumentum ex dictis facilè perspicitur. Universale aliàs in omnes, aut plerasque Orbis partes Regi Galliæ imperium esse, statuas oportet, qui argumento huic robur inesse judicas.

An vestium exterarū receptio argumentum subjectionis.

§. VIII.

Ad effectum originis ex aliâ gente derivatæ propiùs accedendum, examinando: *An Poloni, ob ortum suum Germaniæ debitum, eidem subjecti sint?* Videtur id Juris naturæ esse, *ut cui ortum quis debet, eidem subjectione quoque obstrictus sit. Grot. lib. 2. cap. 5. §. 1. & seqq.* Videtur Jus gentium eidem ad stipulari: ita *Carthaginem Tyrii condidêre, semper parentum loco culti.* apud Curtium *lib. 9.* Et apud Græcos viguit Jus urbium Matricum in coloniis. Nam ut Thucydides ait: *Coloniæ cum urbibus matricibus pari erant Jure libertatis,* sed debebant τιμὰν τὴν μητρόπολιν, & exhibere reverentiam scilicet & honoris quædam signa. *Lib. 1.* Verùm, debeatur Germaniæ â Polonis reverentia & pietatis quidam cultus; non imperium exinde à Germaniâ in Poloniam vindicandum: ut id demonstrat. *Hobb de Cive c. 9. §. 8.* Debuerintque licet primi Sarmatæ primis fundatoribus, tanquàm genitoribus suis, obsequium filiale, id privati privatis debebant, non respublica ex illis composita alteri reipublicæ. Publicus enim respectus privatum tollit, & filius olim Patriciam dignitatē conseqvutus solvebatur patriâ potestate. *Nov. 81. c. 1. & l. ult. de Cod. decurion.*

Si Poloni â Germanis orti, an ideo subjectio ex jure N. & G. deducatur.

Distingvitur inter reverentiam & subjectionē.

Inter reverentiam privatā & publicam.

rion: Majori ergò Jure, ipſum Reipublicæ Polonæ corpus Poteſtati Germanæ Nationis exemtum erit, etſi membra reipublicæ privata, in conditores ſuos pietatis foveant affectum. Nam idem *Thucydides*, qui pietatis cultum exigit à coloniâ, Matrici ſuæ, eandem tamen Coloniam, ſi ex mutuo conſenſu diſceſſio facta, novum populum ſui Juris naſci ita innuit: οὐ γὰρ ἐπὶ τῷ δοῦλοι, ἀλλ' ἐπὶ τῷ ὅμοιοι εἶναι ἐκπέμπονται. *Non enim ut ſervi, ſed ut pari Jure ſint, dimittuntur.* Idem, ſecundam Coloniam â Corinthiis Epidamnum deductam narrat, ἐπὶ τῇ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ, ut pari jure eſſet. Rex Tullius apud Dionyſium Halicarnaſſenſem: τὸ καὶ ἄρχειν ἐκ παντὸς τῶν ἁπάντων τὰς μητροπόλεις ὡς ἀναγκαῖόν τι φύσεως νόμιμον, οὔτε ἀληθὲς οὔτε δίκαιον ἠξιοῦτο ἀφ' ἡμῶν. *Ut omnino matrices urbes coloniis imperent, quaſi naturæ lege, id vero nos neque verum neque æquum arbitramur.* Conf. plurib. *Grot. lib. 2. c. 9. Theſ. 9. 10. & l. 1. c. 3. Theſ. 21.* Concluditur ergò ex ipsâ Germanorum hypotheſi; Polonam gentem, etſi propaginem Germanæ, ſubjectionis tamen, aut tributi vinculo, eidem obſtrictam nullo Jure eſſe.

Colonia ita ſeparari poteſt à Republicâ matrice ut planè ſui juris fiat.

§. IX.

Si ad Svecorum monumenta recurramus, omnibus gentibus, ipſisque Germanis indigenalum controverſum reddi reperiemus. Gothis enim *è Scandinawiâ, vaginâ gentium*, dictâ Jornandi, emigrantibus omnium gentium origo tribuitur, eorumque ſobole maximam Europæ & Aſiæ

An Sarmatæ à Gothis orti, ut volunt Sveci ſcriptores.

ſiæ partem repletam, poſt multos alios noſtro tempore, demonſtrare fuſiùs conati ſunt *Rudbeccius in Atlanticâ ſuâ, & LUNDIUS Cap. 2. §. 10. & ſeqq.* Polonorum quidem mentionem non video injectam, niſi quod poſterior §. *19. Piaſecii in Chron. pag. 48. & Hartknochii Diſſert. 3. de Originibus Pruſſiæ*, aliorumque hiſtoriæ Scriptorum cauſam nationis noſtræ agentium, futiles & vanisſimas conjecturas appellet. Non merentur Viri de re literariâ optimè meriti tam indignam cenſuram: ſit fides penes dictos Autores Sveones; (quos veneror) e Scandinawiâ emigraſſe Gothos: ſed quâ viâ in Scandinawiam primi Gothorum conditores pervenerê, cum poſteri Noæ proximi in Aſiâ vixerint, & creſcente hominum pecorumq; multitudine in exteras, easque tamen vicinas primùm terras emigraverint, ut Abrahami & Lothi exemplo conſtat. *Gen. 13. v. 5.* Sanè in Sveciam non niſi tranſitu per Sarmatiam & Germaniâ vel etiam Italiam, (de qua tamen ſilent autores) facto patere poteſt aditus; alliciente magis procul dubio, illos, Sarmatiâ vel Germaniâ, terris propinquioribus amœnioribusque, præ extimis Plagæ Borealis oris, ſive cœli temperiem, ſive ubertatem terræ ſpectes. Cui Conjecturæ meæ faciliorem addent fidem conſona ferè argumenta Hartknochii in *Diſſert. de Origin. Pomeraniæ §. 8.* expoſita; Ipſiusque *Varnefridi* Teſtimonium, quo Gothos â Germanis originem duxiſſe, ex allegato loco conſtat, Gothorum antiquitati adverſum eſt: imò pleraq; dubia ſunt, quæ Jor-

Vindicantur noſtri ſcriptores contrarium ſentientes.

Difficultas primæ ex Aſiâ, in Scanziam navigationis oſtenditur.

Rationes à diſtantiâ, longitudine itineris, ignorantia artis nauticæ, ciborum apparatu &c.

 nandes

nandes ex *Ablavio* & *Dexippo* habet. Fatendum ergo fuit ipsi *Micrælio*, Jornandis autoritatẽ alias sequi solito, non aliâ in Scanziam concedi potuisse viâ, quàm per Germaniam *lib. 1. Chron. Pomeran. n. 32. pag. 55.* Sed unde illi homines ex Noacho nati, qui in germaniâ sedes posuerẽ? Sarmatia Europea intermedia est, quæ finibus Asiæ, Thanai, & palude Mæoticâ continetur, Testibus *Ptolomæo lib. 3. Geogr. cap. 5. §. 51.* Plinio *Lib. IV. c. 13.* Per hanc ergò ex Asiâ migrandum primò fuit. Fabulam sapit conjectura, mari migrationem (primam intelligo) institutam, re nauticâ tunc non ita florente, ut integra maria situ, temperie, à se invicem distantia, qualia sunt mediterraneum, vel si versus Austrum primam migrationem factam augurari velis; Mare Rubrum vel etiam Persicum, Indicum, Australe, Oceanum Atlanticum, Glaciale ac postremò Balthicum etiam fortè; prima illa gens pyxidis nauticæ, aliorumque subsidiorum navalium ignara emetiri potuisset? Unde tot ciborum tam longo itineri absolvendo apparatus, quæ conservandi illos artes? Si Salomonis navigationem per littora haud dubiè institutam, integro triennio, demùm confectam, è sacro codice scimus; certè vix unius ætatis negotium esset navigatio, in extremas Boreales plagas instituta. Æquior conjectura est; proximas nempè vicinasque, auctâ hominum pecudumque copiâ, quæsitas terras. Id dubiò caret, Sarmatiam Europæam ad paludem

Micrælii conjectura.

Primam Japheti posteritatem in Sarmatia fuisse, demonstratur.

dem usque Meotidem extensam fuisse; in quam si Gothos collocant *OSORIUS Lib. 1. cap. 2.* *JORNANDES* & *PROCOPIUS*; hoc ipso Sarmatas fuisse, admittant necesse est, argumentante ita fortiter Piasecio *dicto loco*: Superfluum E. erit in subsidium vocare Michowium *lib. 1. de Sarmatiâ Asianâ & Europæâ pag. 131.* Jodocum Decium *lib. 1. de vetustat Polon. pag. 270.* Qui Gothos ex Sarmatia deducunt. Unde unde petantur tela, Polonia à Germanorum æque ac Gothorum, ratione ortus, imperio libera pronuntianda erit. Cæteris dubiis, ex similitudine nominum Gothici & Gethici, satisfactum vide in Pastorio *pag. 47, 48, 49.*

§. X.

Reliquæ Hypotheses, quæ solâ literarum similitudine nituntur, nullis historiarum documentis, imbelle fulcrum habent; intentioni nostræ nec adversum nec proficuum. Si enim Sarmatas à *Thorgama* vel *Assarmot* vel *Sarmadai* deducendi, eodem argumento, Moschi à Moschim, & Paphlagones à Phalek, ob literarum quædam rudimenta, plantandi erunt. Quod tamen ab accuratioribus Philologis admitti non vult. Alienus ergo, à defendendâ pertinaciter derivationis dictâ conjecturâ Pastorius, novam aliam, eamq; non inconcinâ, sed genti potiùs perdecoram præbet, compositum scil. nomen istud, ex *Sarmeod*, quod Dominum & Principem validũ notat, ut supra dictum *§. 2. in fine.* Quam quidẽ Vocem

Refutantur reliquæ hypotheses.

Imbelle argumentum à sola nominũ similitudine.

Sarmatæ non derivantur à Thorgama.

Compositio vocis ex Sar & meod approbatur.

Vocem, *Sar*, in *Czar*, apud Russos transiisse autumat; placet tamen hic Baronis ab Herberstein, solidum hàc de re judicium. *De Reb. Moscovit. p. 11. 12. Czar Ruthenica linguâ Regem significat: Cum autem communi Sclvonicâ linguâ apud Polonos, Bohemos, & alios omnes, sumptâ quâdam consonantiâ ab ultimâ & eâ quidem gravi syllabâ, Czar Imperator seu Cæsar intelligatur: Unde omnes, qui Ruthenicum Idioma seu literas callent, item Bohemi, Poloni, atque etiam Slavi Regno Hungarico subditi alio nomine Regem appellant, nempe Krall alii Kyrall, alii Koroll. Czar autem solum Cæsarem seu Imperatorem dici existimant: Unde factum, ut Rutheni Interpretes audientes Principem suum ab exteris nationibus sic appellari, cœperint & ipsi deinceps Imperatorem nominare, nomenque Czar dignius esse quam Regis, (licet idem significet) existiment. Cæterùm si evolvas omnes eorum Historias, atque sacram Scripturam, ubique Regis nomine Czar, Imperatoris vero* Kassar *reperies.*

Kassar quid.

Non obscurum sanè indolis Sarmaticæ, ex nominis istius sensu, indicium; cum Russi, linguâ ferè eâdem, nec moribus multùm à Polonis diversi titulum istumPrincipe dignum existiment. Nullâ tamen necessitate adductus Cromerus, ingeniosissimus aliàs in inveniendis vocum ac rerum incunabulis augur, Sarmatas (quanquam alio ex fundamento) â Russis deducat: dicto Capite X. cui vehementer se opponit Pastorius pag. 53. sequenti ratiocinio: Universam Sclavorum gentem, quæ illas ante, ipsius magni Cromeri verbis

bis, enumeratas terras occupavit, ex unâ Roxolaniâ venisse, minimè mihi veri simile est. Nam etsi satis spatiosa fuerit regio; Multas tamen ejus partes cœlo soloque asperrimas rarus incola coluit; ut adeo profectò tantam hominum multitudinem, quanta fuerit Sclavorum, effundere nequiverit. Non enim in Russiâ, sed in Illyrico, ubi manet appellatio Venedorum, post varias expeditiones consedisse, cum *Herodoto* & *Sabino* rectè statuit *Glitsznerus*. Adeoque exinde in alias sedes ad Occidentem progressos, & omnem eam Germaniæ partem, quæ â Vistulâ ad Salam & Albim seu Visurgim, usque in Carpatum montem, Danubium & Oceanum Germanicum, protenditur, occupasse & in ditionem suam redegisse; cum exhaustæ populis essent illæ regiones, Gothorû scilicet, Vandalorum &c. perpetuis bellis, & in alias sedes migrationibus institutis vacuæ factæ. Si tandem de *Russis* conjectura admittenda; probabilius est, non illam septentrionalem, quam veterum nemo lustravit, & quæ hodiè vix nisi navigationibus maritimarum gentium patet, sed Sarmaticam nostram (quam Basternos & Peucinas tenuisse, opinatur Pastorius pag. 83.) καὶ ἐξοχὴν intellectam esse, eò quod hæc regio omnis generis fruges & mellis proventus producat uberrimos. ut Starvolscius descript. Polon. *pag. 57. & seqq.* habet. Sententiæ huic videtur favere Kadlubko Japeti filium *Jawin* fuisse, quem Poloni vocant *Jan*, Rutheni vero *Iwan*, referens *p. 6.* Utraque vero nomina terminatio-

ne suâ idem sunt, quod *Joannes*; nec ita altè eruenda. Noachum vero, vel ex posteris ejus aliquē *Jani* nomine, ex confusâ Historiæ Diluvianæ cognitione, apud gentiles innotuisse minimè inficiandum puto; certi tamen, ut quid inde definiri possit, obstat solida contrarii conjectura.

§. XI.

Conclusio. Remotis itaque præcipuis istis adversarum partiū conjecturis; Glitzneri sententiæ omnium æquissimæ ac verissimæ utroque pede insisto. Firma enim & indubia, ex rationibus supra expositis, sponte sua fluit conclusio ista: *Sarmatam gentem, ex Japheti benedictâ progenie, imperio non servitio destinatâ, ortam, nec interrupto ab exterâ aliquâ, propaginis suæ ordine, conservatam, ulli nationi derivationis vel aliarum causarum respectu subjectam, aut Tributariam redditam*: Et ne liberalitatis intempestivæ, quâ, Germaniæ præ Sarmatia primatum ortus & dignitatis indulgeri posse, admisi, metuere videar; nullo certè, eâ ex causâ, subjectionis qualiscunque, Patriam nostram damnari posse præjudicio, fortiter, ut opinor, evictum.

SECTIO III.

DE POLONIA NUNQUAM TRIBUTARIA.

Ab initiis Reipublicæ Patriæ, usq; ad Lechum, Primum vulgò creditum Poloniæ Principem, juxtà seriem Monarchiarum; à Primâ usq; ad Quartæ Seculum VItum.

§. I.

Ex Regibus Assyriacis primus bella cum Sarmatis gessit Jupiter Belus. SArmatis, tam liberæ, nominis auspicio, ortu, Indole, ac moribus, genti, quis Regum exterorum primus vim inferre tentaverit, videndum. De Nimrodi filio, Jove Belo refert Berosus: *occupâsse ipsum omnem partem occidentalem, ab Armeniâ usque in Sarmatiam Europæ. Lib. 5. pag. 37. Idem sentit Sleidanus de IV.* Monarch. init. L. I. Nullum inde subjectæ aut devictæ gentis totius argumentum. Non enim Sarmatia, armis subacta dicitur, sed in *Sarmatiam usque* bella â Jove Belo gesta; tentatis fortè *Sed eos non subegit.* Sarmatiæ finibus, non superatis. Accedit eam ætatem fabulis ita obscuram factam; ut fidem vix mereantur, quæ de illâ referunt historiarū Scriptores, ac præcipuè: Numerosos illos Regum pri- *Antiquitati fabulosæ non credendum.* morum Exercitus, quorum magnitudo sæpe ad 1700000. Peditum & 300000. Equitum excrevisse putatur, ob illâ in primâ ætate adhuc hominum raritatem, ridere solitus est Ludovicus XI. Galliæ Rex: apud *Ferronium in Contin. Æmilii.*

§. II.

Reliquis nullum cum Sarmatis fuit negotium.

Nino & *Semyramidi* in Asiam fuêre expeditiones, Sarmatiâ ab invasionibus tunc liberâ; A *Niniâ* vero, ejusque successoribus ad *Sardanapalum* usque, an eadem tentata armis fuerit, desunt monumenta. Nec præsumendum; tentatam fuisse, cum Reges illi elaborato â Parentibus imperio contenti, studia belli deposuerint, & in fœminarum turbâ consenuerint. Quid negotii successu temporis, Sarmatis cum aliis vicinis gentibus intercesserit, rara, obscura, imò ferè nulla exstant documenta. Non tamen rebus strenuè & fortiter gestis posteros veteribus cessisse, autumandum; verùm scriptores tantùm & sacros Vates, qui res illorum pace belloque præclarè gestas canerent, ac scriberent, desideratos rectè judicat *Herburtus in epist: Dedicat: in medio: Chron: Polon. Compend.* Nec in congruè Gwagvinus ita disserit; *si literarum Cultura æque ac res militaris apud Sauromatas tunc temporis floruisset, certiora de suo in hæc loca adventu, aliisque rebus præclarè gestis monumenta reliquissent, sed ipsi animosè viriliterque agere, & bella exercere, quàm eleganter & ornatè scribere maluerunt. fol. 3.* Non enim Alexandrum Macedonem, Scriptorum de eo multitudo, sed rerum ab eo gestarum magnitudo Magnum fecit. Ad vicinarum ergò gentium annales recurrendum esset; sed & in iis tàm obscura, ac penè nulla de Gente illâ monumenta prostant, ut certi quid inde statuere vix liceat. Conjecturis locus erit, iis tamen, ut opinor, fortioribus pro libertate nationis nostræ adstruendâ, quam destruendâ.

Defectus monumentorũ apud antiquos Polonos, non rerum gestarum.

Conjecturæ pro Poloniæ libertate fortes promittuntur.

§. III.

Primus Error, quo Germanos & Sarmatas eosdem esse creditũ, refutatur.

Primus error ab Exteris Scriptoribus in eo commissus, quod Sarmatas Germanos esse, crediderint, cum tamen *secundâ Sectione* evictum, utrosq; initio ortus sui distinctos fuisse, & testimoniis scriptorum constet, progressu quoque temporis distinctos mansisse; ita Tacitus *cap. 46. Peucenorum*, inquit, *Venedorumque nationes, germanis an Sarmatis adscribam, incertum.* Eosdemque Venedos Sarmatiam tenuisse, testis est Ptolomæus *Lib. 3. Geograph. cap. 5.* Et ipse *Jornandes*, antiqvus scriptor Gothus, cujus fidem sequitur *Conringius*, Sarmatas â Germanis ubique separat & imprimis in loco, quo Genealogiæ propriæ mentionem facit; Testimonio certè omni exceptione majore, quod â scriptore Coævo editum; nec obscurè ex eodem loco colligitur; Sarmatas quosdam, relictâ maximâ suæ gentis parte, in illâ regione, quæ nunc Polonia vocatur, in Mysiam Daciam, & Illyricum penetrâsse. Ita enim Jornandes; *Sauromatæ, quos Sarmatas diximus & Cenandri & quidam ex Hunnis in Partem Illyrici sedes sibi datas coluere.* Hoc sensu Cromeri opinio admittenda; *dum è Sarmatiâ, inquit: Slavos in Mesiam Daciamque ac Panoniam, secundum citeriorem Danubii ripam, penetrâsse, scribit: addens: Inde vero non antè Justiniani Imperatoris tempora* (hoc ita, de secundâ vel iteratâ sæpiùs migratione. Priores enim longè antè Justiniani tempora factas fuisse, sectione secundâ probatum) *in Thraciam, Macedoniam Dalmatiam & Illyricum inundasse:*

Fuerunt vero semper distincti.

Sarmatæ, gentis matricis quænam vera sedes

fuerit, quenam coloniæ emiſſæ? daſſe: *Et aliquantò poſt demum, nempe circa Mauritii & Phocæ tempora in iis oris certum domicilium* (vagum enim jam ante Juſtiniani tempora, & ferè certum, ejusdem Imperatoris ætate, ipſis fuiſſe, ex allegato Jornandis loco conſtat) *vixiſſe, ante quod tempus jam eadem gens ad Sarmaticos montes & fontes Viſtulæ, ubi nunc eſt Polonia, habitabat. lib. 1. cap. 16.* Relictam verò gentis ſuæ maximam partem in iis ſedibus, ubi nunc eſt polonia; dum dixi; hoc ipſo non infirmis argumentis, Autoribusque munitus, ratione temporum & locorum conſentiente, certò aut maximè probabiliter aſſerere poſſum. *Lechum* & fratrem ejus *Zechum*, exantlatis ſuperatisque multis & difficillimis laboribus, miſeriisque bellicis, temporibus illis turbulentis in Illyrico & Dalmatiâ, domeſticæ ſeditionis pertæſos in Germaniam penetrâſſe, eâque occupatâ in Poloniam & Bohemiam non tanquàm peregrinas, ſed patrias ſedes reverſos; ut cum *Gwagvino fol. 7. & 8.* & *Cromero dicto capite 16. pag. 25.* loqui liceat. Nec diſſentiunt *Blondus decade 1. lib. 1. Sabellicus lib. 2.* Sed fuſiùs de hoc argumento *ſectione quartâ* agendum.

Reditus Lechi in Poloniâ.

Secundus error, quo quædam tribuũtur Germanis, quæ debentur Sarmatis: & contra. unde ortus.

Secundus Error â primo haud procul abeſt, dum in migrationibus gentium, jam germanâ pro Polonâ, jam hanc pro illâ ponunt: Ex quo confuſionis errore facilis, ea tamen veritati adverſa concluſio Sarmaticæ libertati præjudicium inferens colligeretur. Utraque verò gens amicitiæ fœdere inter ſe juncta, ſedibus ſuis non contenta,

ta, hinc inde migrans arma ſua in diſſitas maximè oras extendit, & multum negotii Romano Imperio, etiam cum latiſſimè id omnium floreret, creavit, uti ex *Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus* patet. Ab Imperatore verò *Juſtiniano* per Ducem Belliſarium â finibus imperii Romani repreſſa & prœlio cruento profligata exiſtimatur. In quam ſententiam Poloni quoque ſcriptores conſentiunt, ſed in eo incauti, quod *Vandalos* cum *Venedis* confundant: id quod poſt alios etiam Gwagwinus in hâc migrationis causâ facit *pag. 4.* Certè non infirmæ hîc Conjecturæ locus eſſet; Nempe non veros Sarmatas â Juſtiniano vel etiam aliis Imperatoribus devictos, ſed Germanos fuiſſe, nomine Vandalorum tunc notos: Evidens enim ejus in Jornande documentum exſtat, in medio circiter. *Tunc perpauci Vandali, qui evaſiſſent, collectâ imbellium ſuorum manu infortunatam patriam relinquentes, Pannoniam ſibi â Conſtantino Principe petierê, ibique per undecim annos plus minus ſedibus locatis, Imperatorum decretis ut incolæ famularunt.* Et circa finem operis ſui de victoriâ a Vandalis, non Venedis, hoc eſt Polonis, reportatâ, idem ita: *Juſtinianus Imperator eodem tempore, â Vandalis cum per fideliſſimum ſuum Belliſarium Patricium reportaret triumphum; nec mora, in ipſo tempore madentibus adhuc armis cruore Vandalico, contra Gothos per eundem Ducem movit procinctum.* Nec obſcura tituli, â devictis gentibus, ab eodem Imperatore ſibi arrogati præbent documenta, dum â *Vandalis* devictis, *Vandalicus*

Sarmatæ Germanorum ſocii.

Non E Sarmatas, ſed Germanos â Juſtiniano devictos demonſtratur.

Vandalicus enim dictus Imperator, non Venedicus.

licus, non verò à *Slavis* vel *Venedis* Slavicus vel Venedicus dictus. in *tit. Imperatoriis Proœmii Instit:* Sola *Antici* appellatio dubium movere videtur. Ut patet exdicto loco & *Lege 1. Cod. de Officio Præfecti Prætorio Africæ.* Erant verò *Antæ* populi Sarmatici, genus, Istri fluminis accolæ; quos in Romanas ditiones irruentes Justinianus per Caudubium ducem repulit. Et pòst aliquot annos, Duce Germano ex Sorore filio, ad internecionem usque, delevit; ut post *Procopium libr. 3. gothici belli statuit* Alciatus *lib. 5. par. cap. 3.* docet. Cui tamen dubio paulò inferiùs satisfiet. Non ignota fuit *Jornandi* Venedorum natio, cui non cum Romanis, sed cum Gothis & Ammalis negotium fuisse refert, in medio operis, eamq; jam victricem jam sæpè victam (si ei fides habenda, ob nimium in suos affectum) prouti fert belli alea, disertis verbis ita refert: *Post Erulorum cædem ita Ermanaricus in Venetos arma commovit: qui quamvis armis dispertiti, sed numerositate pollentes, principio resistere conabantur: sed nihil valet multitudo in bello, præsertim ubi & Deus permittit, & multitudo armata advenerit: nam hi ut initio expositionis vel cathalogo gentis dicere cœpimus, ab unâ stirpe exorti, tria nunc nomina reddidere: id est Veneti, Antes, Sclavi: qui quamvis nunc ita facientibus, peccatis nostris ubique desæviunt, tamen tunc omnes Ermanarici imperiis servivere.* Hos ipsos Venetos, Slavos, seu Polonos Scythicæ indomitæ gentis propaginem esse & in his oris, ubi nunc est Polonia, sedes habuisse: disertis verbis fatetur

Obstat dubium in titulo Antici.

Quid de hoc argumento Jornandes Scriptor coævus senserit.

fatetur dictus Autor. *Sectione à verbo, Scythiâ inchoante: Introrsus*, inquit: *illi* (scil. Scythiæ) *Dacia est ad Coronæ speciem arduis Alpibus emunita: juxta quorum sinistrum latus quidam in Aquilonem vergit, & ab ortu Vistulæ fluminis per immensa spatia venit Vinidarum.* (hos enim Vinidos, Venedos, Venedas, henetas, Enetas ex leni literarum flexu, ab autoribus, pro lubitu, appellatos negari nequit) *natio populosa consedit. Quorum nomina licet nunc per varias familias & loca mutentur; principaliter tamen Sclavini & Antes nominantur. Sclavani à civitate novi, & Sclavino Rummunense & lacu, qui appellatur Musianus, usque ad Danastrum & in Boream Viscla tenus commorantur: hi paludes sylvasque præ civitatibus habent. Antes verò, qui sunt eorum fortissimi, qui ad Ponticum mare curvantur, à Danastro extenduntur usque ad Danubium: quæ flumina multis mansionibus ab invicem absunt.* Nec est, quod à Pauli Warnefridi relatione, Polonorũ libertati periculum metuam *lib. IV. histor. longobard. cap. 39. & 46.* Si enim Slavi, qui pensionem Forolujanis Ducibus persolvisse vel etiam Longobardis in militiâ serviisse dicuntur, Reliquiæ fuerunt Gentis nostræ, quæ successu temporis extra fines regionis propriæ militantes, conjugiis, commerciis, vel alio amicitiæ vinculo, exteris mixtæ, sedes ibi collocaverunt; aliis gentibus in Italiam usq; penetrantibus, ibique retento adhuc Slavorum nomine Dominis territorii illius serviêre, à verâ tamen gente Slavorum s. Polonorum, situ regionis planè separatæ.

Warnefridi de Slavorum subjectione judiciũ quomodo interpretandum.

Zellia,

Zellia, enim, quæ Slavorum Regio fuiſſe, Paulo Warnefrido dicitur, non pars Noſtræ regionis, ſed ſuperioris Pannoniæ provincia fuit: ut id probat Baudrandus. *Geogr. Tom. 2. p. 413.*

§. IV.

Sarmatarum exercitu extra fines regni cæſo. an inde argumentum ſubjectionis petendum.

Ponamus verò jam Sarmatas, vel Slavos, vel potiùs partem cujusdam Sarmatici exercitus extra terminos regionis ſuæ vel ſponte venienté vel â Vandalis in auxilium vocatâ, repreſſam, cœſam, fugatam & è finibus Imperii romani ejectam fuiſſe; nullum inde Subjectionis præjudicium. Quis enim à cæſo, extra regni fines, exercitu Subjectionem integræ nationis colligat, niſi expresſè, de ſubactâ conſtet; quod fit, quando vel de victa gens ſubditam ſe pacto deditionis facit, per quam ſumma victori defertur poteſtas. Ἐπιτρέπειν τὰ κατ' αὐτόν, græci dicunt. Sic Ætholi in Senatu, rogati, permitterentne de ſe arbitrium populo Romano apud *Livium Lib. 37.* Et Conſilium Lucii Cornelii Mentuli apud. Appianum *Lib. 14. circa finem* belli Punici ſecundi, de re Carthagiênenſium hoc erat: *Permittant*, inquit; *Carthaginenſes ſe arbitrio noſtro, ut victi ſolent, & multi ante hac fecerunt: videbimus deinde & nos & ſi quid fuerimus largiti, habebunt nobis gratiam: neque enim fœdus dicere potuerunt, permultum autem intereſt. Quamdiu fœdera cum illis inimus, ut ea rumpant: ſemper aliquid cauſabuntur, tanquàm læſi adverſus aliquam fœderis partem. Nam quia multa ſunt*

An ita victi, ut arbitrium de ſe victori permiſerint.

ſunt dubiæ interpretationis, patet ſemper perplexandi materia. At ubi, ut deditis abſtulerimus arma, corpora ipſa acceperimus in poteſtatem, tum demùm intelligent nihil ſe habere proprium, demittent animos, & quodcunque â nobis acceperint, id tanquam de alieno datum libentibus animis accipient. Vide pleniorem quæſtionis deductionem *in Grot. lib. 3. cap. 20. Theſ. 12. 14. & 49. Vel etiam ſubjectio præſumitur, quando victa gens regno ſuo exuta, illud pro derelicto habet, omnem regionem arbitrio victoris relinquens.* ibid. Nec parùm libertati decedere videtur, quando gens devicta tributis placat victorem, ut ſpem ſibi conſervet recuperandi regionem ſuam, atque intereà copias colligendi & auxilia ab extraneis petendi, tempus lucrari poſſit: Quanquàm Oſiander, nec hoc caſu, jure majeſtatis privatum quem velit: in *annotationibus ad Grot. pag. 1081.* Nullum verò ex his, â Sarmatis vel Slavis, Romano imperio, tot aliarum gentium domitori, præſtitum, ex allegatis vel etiam aliis deduci poteſt teſtimoniis; Etſi non impugnê, fines regionis noſtræ jam extenſiores, jam prævalente vicinorum potentiâ arctiores fuiſſe: Id tamen gentem alteri ſubjectam non reddere, inferiùs demonſtrabitur.

Et lib. 2. cap. 21. §. 7. Lib. 3. cap. 7. §. 1. 2.

An victi Sarmatæ regionem ſuam pro derelicto habuerint.

Oſiandri judicium de eo qui certo caſu tributum pendit.

§. V.

Ex Perſarū Regibus an Cyrus.

Diſtinctiùs verò, & ſerie Imperatorum Romanorum obſervatâ argumentum iſtud mox tractabitur, poſtquàm brevibus, de *Perſicis* vel etiam *Græcis* in noſtras regiones expeditionibus dixerimus, ne quid intactum relinquatur. Perſicæ expeditio-

F

peditionis in Scythiam vel Sarmatiam noſtram à Cyro inſtitutæ infelicem eventū exhibent *Juſtinus lib. 1. Herodotus lib. 1. Strabo lib. 1.* Perſicus enim Exercitus à Scythis ingenti prælio victus, Cyrus ipſe in acie interfectus, ac poſteà cadaveri caput præciſum, quod Thomyris Regina in utrem plenum ſangvine conjecit, his additis verbis: *Satia te ſangvine hoc, cujus ſemper inſatiabilis fuiſti.* Hos verò Scythas Sarmatas noſtros intelligendos eſſe vult Paſtorius pag. XI. Doctis argumentis id fuſiùs deducens *pag. 12.* Interim ſi Melanchtonis (*in Chron. Charionis lib. 2. pag. 59.*) conjecturæ ſubſcribendum eſſet, non Scythas, ſed Gothos fuiſſe Perſici illius exercitus victores; nihil hoc ipſo decedet honori nationis noſtræ: Si enim nulla Sarmatis cum Perſis bella fuêre, vanus erit victoriæ vel ſubjectionis inde deducendæ conatus.

An Darius Sarmatas in ſervitutem redegerit.

Felicior fortè Darii in Getas procinctus fuit: teſte Herodoto lib. 8. *qui Getas* (hos ſectione 2dâ Sarmatarum populum fuiſſe demonſtrare, conati ſumus) *per imperitiam reſiſtentes Dario, in ſervitutem redactos eſſe, refert: Addit tamen* mox: *Cum ſint fortiſſimi Thracum ac juſtiſſimi;* Id verò tantùm exinde concludere licebit: Getarum exercitum nimis fortè ſecurum, aut improvidum artibus bellicis, à Dario devictum, & magnam ejus partem in ſervitutem redactam; qui mos gentium conſenſu receptus, ut capti bello, ſervitutis jugum ſubire teneantur. *Grot. lib. 3. cap. 7. §. 5. & lib. 1. c. 3. §. 8. numero 3.* Hæc verò ſervitus devicto exercitui impoſita, perſonas captivorum non egredi-

egreditur. *Grot. lib. 2. cap. 5. num. 32.* adeòque Getæ reliqui, ſedes ſuas tenentes, h. e. ipſe populus, (quem, ſuccedentibus annis, jura belli & pacis exercuiſſe, h. e. bella cum vicinis & fœdera feciſſe ex hiſtoriarum monumentis conſtat) ideo Perſis ſubjectus dici nequit. Aliàs Imperio Turcico multū juris eſſet in Imperium Romanū, ſi ex militum & incolarum in ſervitutē redactorum multitudine argumentum ſubjectionis, quis deducere velit. *Adde Diodori lib. 13. & Xenophontis Hiſt. Græcæ lib. 5.* teſtimonia, quibus convictus id tantùm definire poteris: Thraces (quibus mixti erant Getæ) tentatos ſcilicet, non ſubactos fuiſſe. *Jonſton pag. 237. in fine & ſeqq.* Cœterùm non mereretur operoſam reſponſionem hæc de Getis facta objectio, ſi Sveonum prævaleret ſententia; Getarum ſc. horum nomen non ad Polonos ſed ad ipſos pertinere. Liberi ergo Poloni noſtri, & ex hâc Sveonum hypotheſi ab omni Perſici in ſe Imperii ſuſpicione.

E Græcis Regibus Philippus & Alexander M. à Sarmatis devicti.

E Græcis Imperatoribus Philippum Macedonū Regem & Zopirionē Alexandri M. Ducem à Scythis deletum, vult Paſtorius dicta pag. XI. Eadem verò Matthæi Epiſcopi Cracowienſis in Epiſtola 8. apud Kadlubkonem pag. 49. fuit opinio; quod cum *famoſus ille Alexander vectigales à Sarmatis exigere tentâſſet penſiones, Sarmatæ libertatis ſuæ fiduciâ ſecuri eas præſtare recusâſſent: hinc belli orta cauſa, ad arma deventum, cæſus tandem Alexandri miles victoriam & Triumphum Sarmatis relinquere coactus.* Clauditque his verbis Epiſtolam ſuam:

Cum perpaucis Alexander evasit inglorius. Sic cessavit exactor, quievitque tributum. pag. 52. Equidem non inficior; nullam hic Matthiæ habitam fuisse temporis, quo res ea gesta, rationem, eòque & suspicionis notam facilè incurrere posse: retulit tamen Autor ille, more seculi sui, de veritate magis indagandâ, quàm synchronismo conciliando sollicitus. Extant enim rei ita gestæ monumenta, in Curtio. L. 10. ab Aventino pro Gloriâ Gentis nostræ approbata. *L. 1. Bojor. pag. 62.* Si tamen & hanc conjecturam quis rejecerit; idem, quod de Persarum expeditione dictum, admittat oportet judicium: *Græcis nempe in Sarmatas nec bellum fuisse, nec jus bello quæsitum.*

§. VI.

Romanorũ, ante Cæsarũ tempora, nullæ in Sarmatas expeditiones: & cur?

Romani in Sarmatas Imperii documenta ponderanda, instant; rejicienda tandem, ubi levitatem eorum perspectam habueris. Antè Cæsarum tempora, raræ Romanis in Septentrionem fuerè Expeditiones; Nec nisi lacessiti finibus hostes tantùm arcebant; teste Floro *Lib. 3. cap. 2.* Prævaluêre Orientis deliciæ, tacitâ quâdam vi Europæos, ab omni ferè ætate, ad nostram usque allicere solitæ. Ast cum ad unum romanæ gentis Imperium devolutum esset, ambitioni, generosiori cuidam vitio, campus illicò patuit, ut non tantùm utilitatis, verùm etiam gloriæ causâ gererentur bella. Inde in terras incultas, invias propè paludibus, Sylvis horridas, legiones ductæ, tentatumque ita à Romanis, gentium Dominis

minis dictis, etiam in Septentrionem Imperium; Quo tamen successu, mox patebit. *Julio Cæsari* bellis, Gallico, Hispanico, Brittannico, Germanico, civilibusque distracto, in Sarmatiam usque extendendi Imperii fines, etsi animus non defuisset, vitæ brevitas, aut propositi difficultas impedimento fuit. Non ergò Julii ætate à Romanis in Sarmatas, (qui tunc Bastarnæ dicti) bella suscepta certo documento constat. *Sarmatas* potiùs Istrum transgressos Misiam, sibi oppositam, finitimosque ejus Triballos & Dardanos invasisse, nec nisi dolo, legatis eorum vino depositis, à Marco Crasso circumventos, refert Dio: Eodemque Autore constat, Antonium ab iisdem Bastarnis, qui Misis auxilio venerant, superatum fuisse *l. 38. & 51.* *Augusto*, sopitis discordiis civilibus, usq; ad Danubium Duces suos cum exercitu mittendi facta primum copia: Sed Sarmatas (hos non indigenas, qui eas sedes, ubi nunc est Polonia, tenuêre, sed Coloniam tantùm fuisse ab indigenis in Dalmatiam usque, Illyricumque immissam, demonstratum superius) Tunc non subigere, *sed Danubio per Lentulum prohibere satis fuit.* Teste Floro lib. 4. cap. 12. pag. 424. linea 20. additque; *Gentes illas, nil præter Nives, rarasque Sylvas habere, tantamque apud illos barbariem esse, ut pacem non intelligant:* Cujus Flori testimonio, consensum suum addit Jornandes his verbis: *Octavius Sarmatas per eundem Lentulum ultra Danubium pepulit: qui nihil aliud, ubi degunt; præter nives, pruinasque & Sylvas habent; tantaque* barba-

Julius Cæsar aliis bellis distractus arma in Sarmatas movere nequit.

Sarmatæ potius in Romanas ditiones excursiones faciunt, dolo à Crasso repressi. Antoniũ tamen superant.

Augustus ipsos tantùm Danubio prohibuit.

barbaries in illis est, ut nec intelligant pacem. Lib. 1. de regnorum ac temporum successione pag. 647. lin. 23. Mansit itaque tunc Sarmatarum gens indomita, donis Augusto missis, amicitiam ejus petens, ut Florus refert *lib. 4. in fine.* Et Additor ad *Aurel: Victorem n. 2.* Nulla hîc subjectionis, nulla tributi præstiti mentio. *Nec amicitia ex solâ indigentiâ petitur, cum sponte nostrâ naturâ ad eam feramur,* docente id Grotio: *L. 2. cap. 1. Thes. 9. n. 3.* Neque munerum præstationem spontaneam genti nostræ præjudicio esse, evictum Differt. *de sensu regionum tributariarum §. 14. 17.* Infeliciora expertus est fata *Domitianus,* cum adversùs Dacas Sarmatarum auxilio adjutas, bellum gessisset, in quo magnâ *parte militum amissâ, ut victor tamen Romam literas misit, victoriam verè mentitus:* Xiphilinus in Epitome Dionis in vitâ Domitiani *pag. 331.* Pari jure, inquit, *de Sarmatis ipsis lauream,* addit, *Solam usurpavit, multas calamitates eo bello passus; Nam in Sarmatiâ legiones ejus cum duce interfectæ. lib. 7. circa finem pag. 579.* Imo Romanos, Dacis (quibus Sarmatæ tunc auxilio erant.) *tributarios* inertiâ Domitiani factos, vel hoc documento constat, quod Daci *ob promissa â Domitiano tributa, â Trajano negata, arma in Romanos sumere decreverunt:* Quæ causa Trajanicæ in illas regiones expeditionis. Xiphilinus in *Epitome Dionis dicto loco pag. 340.* In Sarmatiam vero huc usque nondùm penetraverê Romani Imperatores, cum de Trajano referant Scriptores, quod is primus aut solus

Amicitiam, missis donis, Augusti petunt: an ideo subjecti vel Tributarii.

Domitianus â Sarmatis victus, victoriam tamen mentitus est.

Romani Dacis Sarmatis. que tributarii.

Primus Imperatorum

lus etiam vires trans Istrum propagaverit, domitis in provinciam Dacorum pileatis Sacisque nationibus, Decibalo Rege, ac Sardoniis. Quæ verba Aurelii sunt *in Historiâ abbreviatâ. parte. 2da cap. 13. pag. 514.* Sed quî colliges, Sarmatos in numerum devictorum hic vocari posse: Cum Sarmatarum ut devictorum nulla fiat mentio? Regem, quidem, *Sauromatarum in fidem â Trajano acceptum,* memorat *Eutropius lib. 8. cap. 10. pag. 580.* Quæ sanè in fidem receptio notam subjectionis non innuit; ut id demonstratum *dicta differt. §. 1. & 5.* Cassiodoro Opinionis meæ Interprete optimo, qui Trajanum in fœdus accepisse Sarmatas refert. *in Chron. suo ad D. Trajanum p. 609.* Ante omnia verò fidem maximam meretur Plinius Trajano coævus, qui Sarmatas, eorumque Regem Romanorum contra Decibalum socios & amicos fuisse refert. *lib. 10. ep. 13. 14. 15.*

Trajanus latissimè extendit fines, sed in Sarmatiam non penetravit.

Sarmatæ Trajani socii & amici.

§. VII.

Demus vero adversæ causæ Advocatum Grotium, qui *lib. 1. cap. 3. §. 21. n. 3.* statuit: *Populum talem, qui in fide est alterius populi, inferiorem hoc etiam esse dignitate.* Et *L. 3. c. 20. §. 50. n. 3.* locutione illâ, *tradere se in fidem, tradere in fidem & clementiam,* in historiis Romanis receptâ, *nihil aliud quam deditionem meram,* intelligi putat, neque *fidei nomen his in locis aliud significare, quàm ipsam probitatem victoris, cui se victus committit.* Interpretationemq; suam testimoniis Livii *L. 37. & 44.* probat. Græci dicunt teste Thucydide *L. 3.* verb.

An, quod recepti in fidê, ideo subjecti dicendi.

verb. εἰς δίκην, σφᾶς αὐτοὺς παραδιδόναι. Et apud Diodorum Siculum *L. 14.* καθ' αὐτῶν ἐπιτρέπειν ἐξουσίαν. De Romanis verò ita ſpecialius Polybius. *Apud Romanos idem valent, ſe in fidem aliùs committere & victori de ſe ſtatuendi liberam facere poteſtatem.* Videtur porrò præjudicium ſententiæ noſtræ inferre Gronovius, ſubtiliſſimus Grotii Paraphraſtes *ad d. l. Gr. Romani*, inquit, *rerum acerbitatem verbis mitigare ſolebant. Sic fidem, dicebant, poteſtatem liberam de aliquo ſtatuendi. Sic Socios, qui erant verè ſubjecti.* Sed unde Romanæ, præ Sarmaticâ, Nationis petenda dignitas; Sive Majeſtatis jura ſpectes, quæ ſummis poteſtatibus, ſine diſtinctione potentiæ, communia ſunt; ſive antiquitatem conſideres; certè major Sarmaticæ, quàm Romanæ nationis ſplendor erat; ſeu ad ortum reſpicias, Romæ innitiis ex colluvie hominum conflatis; Sarmatiâ ſibi ortum debente: Seu potentiam ponderes; quam, Romani ne Sarmatis, an Sarmatæ Romanis hucusque dubiam fecerint, rem ut dubiam prætereo: Si ad rerum moralium naturam recurramus; Eandem ex operationibus cognoſci debere, non ex ſplendore aut potentiâ, docet idem *Grotius dicto capite tertio §. XI. n. 2. & 6.* Adeò ut inter ſummas poteſtates æqualitatis præcipua habeatur ratio; Nullâ earum, præ aliâ, prælationis jure, gaudente. Quæ cauſa, quod Legatus potentioris Regis, Legato infirmioris, honoris aut dignitatis gradu, apud eum, ad quem miſſi utrique, pro perſonis mittentium habiti

biti, non præferatur. Simus vero & hîc liberales, in concendendo majori, Imperio Romano præ Sarmatico, honore; nullam inde ſubjectionis ſpeciem concludi poſſe, eodem Grotio interprete conſtat. *d. l.* Ideo, inquit, apud Livium opponi videas, *in fide eſſe*, & *in ditione*. Et ex dicto illo Scipionis clarè ſatis diſtinctio hæc patet. Dum, *Populum*, inquit, *Romanum beneficio, quàm metu homines obligare malle; exterasque gentes fide ac ſocietate junctas habere, quàm triſti ſubjectas ſervitio.* apud Livium *L. 26.* Hæc & plura vid. in dicto Grotii loco. Liberos itaque tunc Sarmatas fuiſſe oportet, etſi fœdere Romanis obligatos; ſummumque ſemper imperium retinuiſſe. Facilis cæterùm erit phraſium in hâc materiâ ſibi oppoſitarum conciliatio, modò rei veritas primo eruatur. Sequuntur enim verba, pro ſtatu rerum, proque diverſitate ejus, diverſimodè, acceptanda. Nullo jam documento conſtat, Sarmatas hactenus â Romanis devictos & attritos fuiſſe, ut *fidei*, hoc eſt, *arbitrio* Romanorum ſe ſubmittere neceſſe habuerint. Verè itaque, ſocios & Amicos Cæſarum fuiſſe Sarmatas, ex præſuppoſitis iſtis ſequitur. Ne tamen vis verbis inferri videatur; apud Julium Cæſarem, accuratiſſimum Latinitatis ſcriptorem, diſtingvi videas, & ἐπεξηγητικῶς declarari; τὸ *in fide & amicitiâ eſſe*; (quâ ferè locutione de Sarmatis uſos Autores ex præcedentibus patet.) & τὸ *in fidem & poteſtatem venire.* (quibus verbis, expreſſam Sarmatarum cum Romanis conjunctionem, nuſpiam legi-

Polonia & ratione potentiæ & ratione ortus non cedit Romanæ ditioni.

Cæſaris de Phraſi illâ, in fide eſſe &c. genuina interpretatio.

legimus.) ut egregiè id notavit Bœclerus ad *d. l. Grot.*

§. VIII.

Si ſequentium ſeculorum evolvantur monumenta; verè *Aurelium* judicaſſe conſtabit: *ſolum* ferè Trajanum trans Iſtrum vires propagâſſe; Nam *Adrianum ſucceſſorem de Daciâ conatum facere, amici deterruerunt; ne multi cives Romani Barbaris traderentur.* Et *Antonino Pio* in *re militari moderata fuit Gloria; defendere magis Provincias quam amplificare ſtudenti:* ut de utroque refert Eutropius *L. 8. p. 114. & 115.* *Marcum Antoninum Philoſophum*, Sarmatiam quidem Provinciam facere voluiſſe, ſed impeditum, referunt Julius Capitolinus, *in Vita Ejusd. p. 148.* & Eutropius *L. 8. p. 116.* Oroſius *L. 7. cap. 15.* Nec Barbarorum nomine, Sarmatas ſolos intelligendos cenſeo, cùm & aliæ gentes Barbaræ fuerint, quæ terrore ab Avidio Caſſio Duce incuſſo perculſi, *pacem centum annorum ab Antonino abſente petiiſſe* dicuntur, Vulcatio Gallicano in *Avid. Caſſ. p. 154.* Sarmatæ enim tunc Dacis, Myſis aliisque vicinis auxilio fuêre; refertque idem Vulcatius, *tria millia Sarmatarum negligentiùs agentium in Danubii ripis occiſos. ibid.* Et quæ tandem ex tam paucorum hominum exiguâ certè jacturâ ſubjectionis ſequela? cum centenis Millibus inſtructos eorum exercitus fuiſſe Annales teſtentur. Cœterùm de Pace oratâ; an victoriæ & ſubjectionis argumentum ſit. *Sect. 4.* exponetur. Ad Imperatores revertimur, ex quibus, *Maximinum Sarmatis*

Adriano, Antonino Pio, quale cum Sarmatis negotium.

M. Antonini Philoſ. conatus Sarmatiam in Provinciam redigendi vanus.

An à Duce ejus Avidio Caſſio ſubacti.

Sarmatis bellum inferre & Regiones eorum Imperio Romano ſubjicere cogitâſſe, meminit Julius Capitolin. *p. 227.* non tamen ſubjeciſſe. *Facturum*, addit, *ſi vixiſſet.* In bello enim adverſus Germanos feliciter geſto, cum a Militibus Imperator eſſet ſalutatus, à Pupieno occiſus eſt teſte Eutropio *L. 9. in Vit. Ejusd.* Jactantiam ergo ſapit oratio Maximini ad milites habita; fortè, ad autoritatem ſibi conciliandam & militum erigendos animos; id quod non obſcure, Herodianum lecturis patebit. *L. 7. p. 600.* Dum, *Sarmatæ*, inquit, *de pace nobis quotidiè ſupplicant &c.*

Maximini de Sarmatarum oratâ pace jactantia.

§. IX.

Concidêre vero ſenſim, ſub Imperatoribus ſucceſſoribus, Romani Imperii vires, donec tandem *Dacia, quæ à Trajano ultra Danubium fuit adjecta, cum aliis provinciis amiſſa & Pannonia à Sarmatis populata.* teſte Eutropio *L. 9. p. 121.* Ac ferè exanime Reipublicæ corpus viſum, niſi Spiritum ei reddidiſſet *Probus Imperator*, qui Sarmatas (hi Meibomii & Hornii conjecturâ in notis *ad Sleidan. L. 2. p. 147.* Poloni fuiſſe creduntur.) ita contudiſſe dicitur, ut prope ſine bello cuncta reciperet, quæ illi diripuerant. *Tedendit deinde iter per Thraciam, atque omnes Geticos populos, fama rerum territos & antiqui nominis potentia presſos aut in deditionem, aut in amicitiam recepit* Flavio Vopiſco referente *in Vit. Prob. p. 293.* Dubia martis alea eſt, victorum & devictorum Sortem commutare ſolita. Victi prælio Sarmatæ aliena

Succeſſu temporum Dacia à Romano Imperio avulſa.

Recepta à Probo; non tamen ſubactis Sarmatis, quin potius in amicitiam receptis.

 tunc

tunc possidentes. His, jure ne an injuriâ incertum, dejecti ad suas rediêre sedes, nullo subjectionis vinculo victori adstricti. Imo, illi ipsi forte veri Sarmatæ *Getarum gens fuere, quæ in* amicitiam recepta dicitur. Pars Sarmatarum, qui Bastarnæ dicti, in *solo Romano* mansêre, *eorumq; centum millia fidem servarunt*; *memorante* eodem *Flavio Vopisco*. Ast morte *Probi*, iterum erêxere animos Sarmatæ, *collectisque copiis non Illyrico tantùm, & Thraciæ, verùm ipsi Italiæ minitabantur, a Caro tamen represi & Pannoniâ ejecti*. Apud Flavium Vopiscum. *p. 301.* Ad pristinas sedes itaque migrandum fuit, in quas usque, an Carus penetraverit, nullibi extat. Et dubitari quoque posset, an planè è finibus Imperii Romani à Caro ejecti fuerint, Xiphilino *in Breviar. Eutropii* ita rem gestam referente. Dum bellum adversus Sarmatas gerit, *nuntiato Persarum tumultu ad orientem profectus, res contra Persas nobiles gesfit*: & cum castra supra *Tigridem haberet, ictu divini fulminis periit. L. 9. p. 124.* Victi etiam prælio à *Diocletiano* & *Constantio* Imperatoribus, & captivorum ingentes copiæ, in Romanis finibus locatæ, juxta Eutropium *L. 9. p. 127.*; interim subjectos nec tum fuisse Sarmatas, aut eorum terram à Romanis occupatam, documento erunt continuatæ è propriis sedibus in Romanas excursiones: ut mox patebit.

Morte Probi Sarmatæ ipsi Italiæ terrorem incutiunt sed repressi, a Caro non devicti.

Victi prælio à Diocletiano & Constantio non tamen subjecti facti.

§. X.

Non terruit Sarmatas Constantini M. fama; ducto

ducto in ditionem Romanam exercitu; quamvis infeliciori successu: cujus belli historiam ita Zosimus describit. *Cum autem Constantinus audivisset, ad Mæotidem paludem habitantes Sarmatas, Istro navigiis transjecto, ditionem suam agere, ferre; copias in eos duxit. Itidem barbari cum Rausimodo Rege obviam ei profecti, primum quoddam oppidum tentabant, satis magno præsidio munitum; cujus ea pars muri, quæ à terrâ surgebat in altum, erat opere lapideo facta; Pars superior, ligneo. Quamobrem arbitrati Sarmatæ, facillimè se potituros oppido, si quicquid esset in muro ligneum, exussissent; Ignem admovebant, & consistentes in muro telis petebant. Sed cum murorum propugnatores telis ac lapidibus ex loco sublimiori dejectis, barbaros interficerent, jamque Constantinus advenisset; à Tergo barbaros adortus, multos occidit, plures vivos cepit; reliquis fugâ sibi consulentibus. Rausimodus majori parte copiarum amissâ, naves ingressus, Istrum transjecit; cum haberet in animo ditionem Romanam iterum agere, ferre. Quod ubi Constantinus comperisset, & ipse transjecto Istro subsequitur; ac fugâ quemdam ad collem silvis densum delatos adoritur, & multos interficit; quorum in numero Rausimodus erat; multisq; vivis captis, residuam multitudinem, quæ manus porrigebat, in fidem recepit; eoque pacto, magnâ cum multitudine captivorum ad prætorium reversus est.* Aurelius Victor brevibus meminit, *Gothos Sarmatasque Gentes stratas fuisse L. de Cæsaribus p. 527.* Inde fortè jam non leve subjectionis præjudicium, imprimis si Eusebii Coævi relationem

Constantino M. à Sarmatis illatum bellum, legatione ejus compositum.

junxeris *L. 4. de Vita Constantini M. cap. 5. & 6.* Primum nempe fuisse, qui Scytharum Sarmatarumque nationes sub jugum miserit, ante has indomitas, resistentes & contumaces armis domuerit, reliquos prudentibus legationibus mitigans. Recentiores historiarum compilatores hic plus æquo liberales sunt, dum Sarmatis, occiso Rege, pacem petentibus dedisse Constantinum autumant. Jonston in *Polyhist. P. 1. p. 569.* Cuspinianus *p. 94. n. 40.* Verùm, nec in casu occisi bello Regis, Respublica hoc ipso hosti subjecta, nec omnia, quæ â veteribus relata, temerè in Sarmatarum opprobrium torquenda sunt. Occiso enim Rege, nullo Regni successore relicto, jura Regni ad populum reverti, extra dubium est. *Grotio* & *Pufendorfio* id fusius demonstrantibus. Imò licet captivum, ut quidam volunt, â Romanis factum Regem admiserim; Respublica Sarmatarum ideo simul à Romanis pro captivâ redditâ habenda neutiquam est. Impedito enim per Captivitatem Regis jure, personam ejus populus tunc veluti repræsentat. *Sic Demetrius, cum in potestate Seleuci non satis liberè, viveret, vetuit aut Sigillo aut literis suis credi, sed omnia quasi se mortuo administrari voluit* apud Grot. *L. 1. c. 3. §. 24.* Et Franscifcus I. cùm captivus in Hispaniâ detineretur, Alenconiæ Sorori, quæ Cæsarem inviserat, in discessu mandavit, ut *suo nomine matrem, consiliumque, ut Galliæ Regni utilitati, sui, quasi non amplius viveret, nullâ habita ratione, diligenter consulerent, moneret.* in Gvicciardino

Recentiores historici in Poloniam acerbiores refutantur.

An captus vel occisus Rex in acie, Regnum Victori cedere videatur.

dino *L. XVI. f. 590.* Porro *Rausimodi* Regis occisi nomen evidenter innuit, non Sarmatas sed Gothos, quibus ille præfuit, vel etiam aliam gentem Gothicæ congenerem intelligi debere. Meminit enim Jornandes *Rosomorum* (inde fortè â gente, Dux ipse *Rosimorus* vel *Rausimodus* dictus, cum literæ *au*, contracto sono *O*, exprimant, & reliquæ, *o*, in *i*; *r.* in *d.* ex malè intellectâ Barbarorum pronuntiatione, â Romanis versæ; id quod ex nominum germanicorũ in Latinum traductatione, fusiùs deduci posset. Præcipua tamen literarum monumenta in ipsa voce conspicua sunt.) *Gentem Gothorum Reip. tunc temporis famulatum exhibuisse. In medio circiter.* Et hinc distinctius Hieronymus interpres Eusebii, *Gothos*, ait *in Sarmatarum Regione â Romanis victos. in Chron. p. 84.* Quam interpretationem sequitur Funccius. *p. 109. Chronici sui.* Nec pacem Sarmatas petiisse, dicendum: cum Eusebius disertis verbis referat; *Imperatorem Sarmatas per Legationes mitigasse.* d. l. Non parum lucis conjecturæ huic nostræ addet Eutropii relatio; Imperator *Gothos post civile bellum variè profligavit, pace his postremum datâ* (â Jornande ideò fortè fœderati facti dicuntur) *ingentemque ad barbaras gentes* (quarum nomine Sarmatas hic præcipuè intellectas ex Eusebio constat.) *Memoriam gratiæ suæ collocavit:* hoc est; pacem & amicitiam cum illis colendo *lib. 10. pag. 130.* Mirum ergo jam, quod Jonstonius *pag. 570.* Gothos & Sarmatas in Servitutem redactos scribat, deceptus fortè *Eusebii verbis sequentibus dicto loco*

Rausimodus occisus non fuit Sarmatarum Rex, sed Gothorum Dux.

Eusebii testimonio respondetur.

loco cap. 6. At Sarmatas, inquit, *DEUS ipse Constantini pedibus substravit, & homines barbarico fastu intumescentes hoc subegit modo. Nam cum Scythæ bellum eis intulissent, Sarmatæ servos suos ut hostibus resisterent, armaverant. Servi partâ de hostibus victoriâ, arma in Dominos vertere cœperunt, cunctosque patriis sedibus expulêre. Hi verò nullum alium salutis portum, quàm Constantinum reperêre. Qui servare homines assvetus, universos intra fines imperii Romani recepit. Et eos quidem qui idonei essent, militaribus copiis adscripsit : reliquis ad necessaria vitæ subsidia agros colendos assignavit. Adeò ut feliciter sibi cessisse calamitatem suam ipsi faterentur ; Quippe qui barbaricam feritatem Romanâ libertate mutâssent. Hâc ratione DEUS plurimas barbarorum gentes ejus adjunxit imperio.* Sed facilè dubium hoc, interprete Hieronymo solvi potest *ex additione ejusdem ad Chron. Eusebii pag. 84. Sarmatæ*, ait, *litigantes* (*limigantes* fortè dicendi, ut ita ab Augustæ Historiæ scriptoribus dicuntur, appellati inde, quod *Antes*, h. e. populus natione Slavicâ talis prope *Lime* oppidum & Tractum Bityniæ sedes suas tenuerint) *dominos suos, qui nunc Acaragantes* (hi ob datam sibi â Constantino M. certam ejus nominis ditionem, hoc nomen sortiti) *sedibus suis ejecere*. Sequitur Hieronymum Funckius *dicto loco*. Sit tamen ita: Sarmatas servos Dominos suos expulisse in Romanum solum, adeoque â Romanis in fidem acceptos. Mansêre tamen iidem servi in ditionibus primis Dominorum successores facti:

An servi locum Dominorum occupantes Reipublicæ corpus conservent.

Et

Et licet injusto, adversùs veros Dominos, titulo sedes illas tenuerint, â Romanis tamen quæstio ipsis nulla ideò moveri potuit. arg. *Legis. bona fides ff. depositi.* Nec etiam motam ideò fuisse, ullo documento probari potest. Mansit *Tyri*, Respublica; Dominis irâ servorum necatis, iisq; servis locum dominorum occupantibus. *Sabell. L. 9. Enne. 1.* Præstat ergò alia, eaq; æquior conjectura; Quosdã ex Sarmatis â servis suis fortè pulsos, non verò integram gentem totius regionis suæ finibus ejectam fuisse: Cujus conjecturæ fundamentum, ex continuato in Sarmatas â Constantio successore, bello, luculenter patet.

Probabilius est; quosdam Sarmatas ad Constantinum confugisse, non totam gentē.

§. XI.

Jam tela fortiora imminent, quibus retundendis paribus armis opus est, ac fortioribus munimentis. *Constantinus*, enim, *Sarmatas & Quados vicinitate & similitudine morum armaturæque concordes, Pannoniam Mœsiamque incursantes proelio fudit. - - - Victus ita Zizais Regalis, ordines Sarmatarum more certaminis instruxit ad preces, visoque Imperatore abjectis armis pectore toto procubuit exanimis, stratus cum suis misericordiam â Cæsare petiit, & obtinuit. Oblatis Romanæ potentiæ facultatibus, liberis, conjugibus, terrarumque suarum ambitu; prævaluit æquitati juncta benignitas, jussique obtinere sedes impavidi, reddidêre captivos. Duxeruntque postulatos obsides, & obedire præceptis deinde promptissimè spoponderunt - - - Obtinu-*

Constantii de Sarmatis & Quadis victoria examinatur.

ère Gratiam, jussi, ut semper Romanorū clientes essent, offerrentq́; obsides quietis vinculo conservandæ — — — Restituta tandem Sarmatis libertas cum dignitatis augmento, dum Zizaim Regem ipsis præfecit Imperator — — sed conversa postea in Sarmatas Limigantes servos, quibus devictis, tributo annuo ipsis imposito cognomentum Sarmatici *adeptus est.* Hæc ex *Ammiano Marcellino Lib. 17. pag. 351. ad 355.* fidelissimè excerpta refero. Aurelius Victor brevibus etiam refert, *Constantium* genti Sarmatarum, magno decore confidentem apud eos, Regem dedisse *pap. 528. fine.* Verum si Zosimum Marcellino jungamus, non tàm de Sarmatis nostris, quàm Quadis (qui fortè ob societatem belli, vel morum similitudinem, vel quod â Sarmatis derivati, Sarmatæ dicti) Constantium victorias reportasse constabit. Ita enim Zosimus Lib. 3. pag. 703. *Ipse Constantinus in Pannoniam Mysiamque proficiscitur; & ibidem sedatis Quadorum Sarmatarumque motibus, versùs orientem pergit, irruptionibus Persicis eum ad bellum pertrahentibus:* & alibi *pag. 709. Quadi maximas ad angustias redacti, deque multis pauci facti, cum Duce suo Cæsari se dederant: Qui & magnam superioribus impressionibus captivorum multitudinem adeptus fuerat, & inter alios ipsum quoque Hegistilium â Chariettone captum habebat. Cum miserabilem in modum supplices factos, obsides dare juberet, homines quosdam nobiles, & in his ipsum Regis filium: Dux barbarorum lamentatione maximè miserabili sublatâ, cum lachrymis dejerabat: inter alios & filium*

An regem ipsis dederit.

Quadi non Sarmati â Constantio victi.

lium sibi periisse. Quamobrem paternas miseratus lachrymas Cæsar, filium ei commonstrat, qui delicatè alebatur: simulque professus, eum se obsidis habere loco, deque numero nobilium aliis quoque præter hunc obsidibus acceptis, pacem ipsis eâ largitus est lege, ne contra Romanos unquam arma caperent. Et licet admittamus; Sarmatas quoque tunc â Romanis victos; eo ipso tamen non evictum, totam gentem, quæ in Livoniam usque extensa fuit, subactam aut Tributariam redditam. Ipse enim Marcellinus, *in eâ Sarmatiæ parte gestum refert, quæ secundam spectat Pannoniam*: dicto lib. 17. p. 351. *in med* Legiones fuerê Sarmatarum, aut certa pars nationis, in eas plagas emissa, ut suprà evictum, quæ Romanas ditiones incursabant, jam victores, jam victæ, prouti belli alea alterutri bellantium favere solet. Nec â *Cognomento Sarmatici*, argumentum plenæ subjectionis petendum. Non insolita hæc Imperatorum fuit ambitio, ut ex unâ, sæpè etiam ambiguâ victoriâ triumphos ducerent, & nomine devictæ gentis superbirent. *Germanici* titulum sibi sumsêre Imperatores quidam, cæso exercitu Germano, non redactâ in Provinciam Germaniâ. *Dalmatici* cognomentum Domitianus arripuit, ex dubiâ victoriâ, quam verè mentitus; & pari ferè jure ex Sarmatis devictis lauream gessisse, ex prioribus constat. Ipsius *Constantii* Oratio interpretationi huic lucem conferet optimam. *Sarmatas*, inquit, *absque nostrorum stipendio stravimus, parique petulantiâ ruentes in agmina nobilium legionum*

Legiones quædam Sarmatarum cæsæ; non id eo tota gens subacta.

An ex cognomento Sarmatici; subjectionis argumentum.

num Quados Sarmatis adjumenta ferentes, attrivimus. Qui post ærumnosa stipendia inter discursus & repugnandi minaces anhelitus, quid nostra valeat virtus experti, manus ad dimicandum aptas armorum abjecto munimine pone terga vinxerunt: restareque solam salutem contemplantes in precibus affusi sunt vestigiis Augusti clementis: cujus prælia compererant, sæpiùs exitus felices habuisse. His sequestratis, Limigantes quoque fortitudine superavimus pari: interfectisque pluribus, alios periculi declinatio adegit, suffugia petere latebrarum palustrium. Hisq; secundo finitis eventu, lenitatis tempus aderat tempestivæ. Limigantes ad loca migrare compulimus longè discreta; ne in perniciem nostrorum se commovere possent ulterius: & pepercimus plurimis, & Zizim præfecimus liberis, dicatum nobis futurū & fidum; plus æstimantes creare quam afferre barbaris Regem: hoc decore augente Solennitatem, quod iisdem quoque rector tributus, antehac electus est & acceptus. - - - Postremo ego quoque hostilis vocabuli spolium præ me fero, SECUNDI SARMATICI cognomentum, quod vos unum idemque sentientes mihi (ne sit arrogans dicere) meritò tribuistis. Iidem porrò Sarmatæ in Pannoniam Mæsiamq; excursione factâ à *Valentiniano* repressi pacem orabant, pacificâ prece, ut propitius veniret & lenis: teste Marcellino lib. 30. pag. 497. & lib. 29. pag. 491. Aliter Zosimus, qui Valentinianum de Bello Sarmatis & Quadis inferendo deliberâsse tantùm refert: Addens: *Merobaudem, qui peritiam rei militaris habere*

Sarmatæ à Valentiniano repulsi.

bere supra cæteros videretur, toti exercitui præficit. Hyeme præter moram durante longiùs Quadi, per legatos, ei verba quædam modum excedentia denuntiant: Ob quæ indignatus Valentinianus, præque nimiâ iracundiâ propemodum redactus ad insaniam, sangvine in os delapso, qui vocis arterias obstruebat, exstinctus est. Lib. 4. pag. 745. Succedentibus annis mixti Scythicis, Gothicisq; populis Sarmatæ creberrimas in ditionem Romanam tentavêre expeditiones. Ita *Arcadii* & *Honorii* Imperatorum temporibus, Rex Gothorum Radagarisus generis Scytha, cultui idololatriæ deditus, barbaricæ immanitatis feritate Sævissimus, cum ducentis armatis Sarmatarum millibus, Italiæ partes vehementi vastatione invasisse dicitur. Testibus Isidoro *in Chron. suo*, Sigonio, *lib. 10.* Zosimo *l. 5. pag. 803.* Quanquam Hic non tàm Sarmatarum quam Transistrianorum mentionem faciat, & totius exercitus numerum è quadringentis millibus compositum referat. Sub *Leone* Imperatore, Svevorum Regibus Hunimundo & Alarico auxiliares facti, cum *Bayga* & *Babaci* Regibus suis, arma in Gothos moverunt: *apud Jornandē circa finem libri sui*: ubi quoque refert, hunc Babai Sarmatarum Regem, *Decamundo Duce Romanorum victoriâ potitum, superbiæ Tumore regnâsse*, â Theodorico tamen Gothorum Rege posteà occisum. Quæ iisdem Sarmatis cum Justiniano Imperatore bella fuerint, qui bellorum successus exitus, supra expositum §. III. Mauritio Imperante, satis fuit Slavinos è Romanorum ditione

Quanquam & id dubium reddi possit.

Succedentibus annis, mixti Sarmatæ Gothis Scythisq; Romanum vastant imperat.

Temporibus Arcadii Honorii Leonis.

Donec tandem bellis fatigati Patriam repeterent.

ne abigere; fusus ab illis & deletus penè integer exercitus, Mauritio Petro Duci culpam omnem imputante. teste *Georgio Cedreno Histor. compend. p 327.* Nec adversum causæ nostræ ejusd. erit testimoniû: in vita Michaelis *p. 475.* dum *Chrobatos, inquit, Servos, reliquasq; Scythicæ, quas supra memoravimus (Slavinos intelligit.) gentes, cum vidissent; quomodo missis à Romano Imperatore auxiliis res in Dalmatiâ acta esset, missis ad eum Legatis petunt, rursus sub jugum Romanæ potestatis recipi:* Reliquiæ erant Slavorum, cum præcipua eorum pars longè ante ista tempora cum Lecho Duce ad suos recesserit. Postquàm verò succedentibus annis reliqui Imperatores Romani â Persis & Saracenis nimiùm quantùm bellis distraherentur; Sarmatarum regione illâ, quæ ad paludem Mæotidem sita est, belli sede factâ, Sarmatæ ii, pertæsi regionis istius, sensim recessêre, donec tandem in illam Sarmatiæ partem, ubi nunc est Polonia, tanquàm veram suam patriam pervenêre. Quâ de re Sectione quartâ paulò fusiùs agetur.

§. XII.

Conclusio. Hæc ingenuè è Scriptorum monumentis relata; nullâ verborû adhibitâ pompâ, aut rerum gestarum superbâ deductione. Hanc, qui expetis, Stanislai Sarnicii Annales *L. 2. 3. 4.* Polon. consule Sufficit rem ita deduxisse: Sarmatarum nempe Coloniam in Pannoniam Misiam & citeriores ditiones Romanas tentasse & fecisse excursiones

cre-

creberrimas; Sæpè Romanum fudisse exercitum & ipsi imperio Romano terrorem incussisse: Posterioribus verò seculis, senescente quasi fortunâ jam vincendo, jam succumbendo, fatigatam in partes abiisse. Pars Romanis addicta in finibus eorum sedes sibi datas vel relictas retinuêre, abolito ferè priscæ gentis nomine; pars Gothicis aliisque populis immixta iisdem militavêre, pretio, vel societatis jure; pars tædio belli cum vicinis perpetui, vel dulcedine patriæ veræ, ad pristinas Poloniæ, ubi nunc est, sedes commigravêre: Cujus documentum reditus *LECHI* in Poloniam, sequenti sectione, præbebit luculentissimum. Manet itaque firma sententia; Sarmaticam Gentem antiquis Poloniæ sedibus hærentem, hactenus â Romanis, nec subactam nec tributariam redditam, cum quicquid de Romanorum cum Sarmatis negotio relatum; de Sarmatarum Coloniâ intelligi debere, ex præmissis evidenter pateat: Eoque ipso *nulla Romano Germanico Imperio, jure successionis fortè, in nostram Gentem potestas, vel potestatis imago.*

I SECTIO

SECTIO IV.
DE
POLONIA NUNQUAM
TRIBUTARIA

Juxta seriem Imperantium à Lecho, *Primo Gentis Duce vulgò credito, ad* Mieczeslaum I. *Christianum*

Temporis quoque ratione habitâ à medio Seculi VIti ad Seculum Xmum.

§. I.

Lechi in Poloniam adventus.

DE *Lechi* & *Zechi*, ex Illyrico vel, ut alii volunt, è Pannoniâ secessu, atque in Poloniam Bohemiamque factâ migratione silent Veteres. Communi verò Gentis Slavicæ consensu celebratur; Fratres illos magnanimos è remotioribus illis terris, se subduxisse, & occidentem versùs ducto exercitu, in Germaniam ac tandem in ipsam Bohemiam & Poloniam penetrâsse, ibiq; ab *Incolis* Regnorum pro *Principibus*, ab *exteris* pro *Conditoribus Nationis* utriusq; habitos. In hâc sententiâ sunt è Polonis *Wapovius* & cum eo *CROMERUS Lib. 1. c. 14.* HERBURTUS *Lib. 1. c. 2.* Gvagvinus *fol. 7. & 8.* Commentator Kadlubkonis *præfat. pag. 8.* Sarnicius *Annal. Polon. L. 4. p. 168.* Neugebaur *L. 2. p. 40.* E Bohemicis scriptoribus, Æneas Sylvius *in Historiâ Bohemiæ cap. 2. & 3.* Dubrawius *in Historiâ Bohemiæ Lib. 1.* Quibus accedunt Exteri, quorum præcipui sunt MARCUS ANTONIUS COCCIUS, Sabellicus *Ennead. 8. Lib. 2. pag.*

pag. 344. THUANUS. *Lib. 56. Historiar.* aliiq;. Tempus migrationis, â restitutâ orbi salute, 550 fuisse creditur, nec vanâ credulitate; Cum Justiniani & ejus Successorum ætate parallelâ, Slavicæ & Sarmaticæ Gentes, relictis Pannoniæ & Illyrici sedibus sensim recesserint, & in has oras commigraverint, ut Glitschnerus id probat *in Hist. Lechi.* Quicquid tamen ejus rei sit: Dubia sint, quæ de Lechi adventu traduntur; res tamen loquitur, fatente ipso Crantzio. Wandaliæ *Lib. 2 c. 18. numero 35;* & nemine ferè exterorum contradicente: *Lechitarum seu Polonorum antiquas in his ditionibus fuisse sedes; testantur id bella cum Germanis vicinisque gesta, fœdera cum iis pacta, commercia instituta.* Nec est, quod â Cromero nobis metuamus, qui nomen Polonorum ante Justiniani tempora, non innotuisse, sed ejus vestigia in Procopio demùm *L. 1. Hist. Got. L. 3. & 4.* ac Jornande, *L. de Reb. Get.* inveniri autumat. *L. 1. Ort. & Reb. Gest. L. 1. c. 8:* Sanè jam Ptolomæi ætate *Bulanos*, qui idem quod *Poloni*, ad Vistulam amnem collocatos fuisse probat Hartknoch *L. 1. c. 2. §. 1. p. 21.*

Etsi dubium esset; negari tamen nequit; Polonos in his oris semper fuisse.

§. II.

Fabulas illas, nimirum *Zechum* & *Lechum*, Filios aut Nepotes *Javani*, aut certè è propinquâ posteritate ejus & *Noæ* progenitos, non multò post diluvium è Croatiâ seu Pannoniâ in Bohemiam & Poloniam commigrâsse; ipsas se refellere

Lechus an Nepos Noæ.

lere, ostendit jam CROMERUS *Lib. 1. c. 15.* etsi pro Wapovii fide militet Sarnicius *L. 4. Ann. Pol. p. 172. pr.* Nec operosè defendendam suscipio, relationem *Wapowii*, qui *Lechum* aliquoties cum Germanis, secundis præliis dimicâsse, de Regulo quodam singulari certamine victo & interfecto, opima spolia retulisse, Regnumque illius cum omnibus maritimis regionibus, quæ nunc Pomeraniæ nomen retinent, Marte concedente, occupâsse scribit. Sequitur fortè illius autoritatem Gvagwinus *fol. 8.* CROMERI conjecturam mihi sequi liceat; dubiam habendo Autoris illius autoritatem; Eò quod, quo autore id referat, non habeat. Si ab urbium conditarum denominatione argumentum solidum semper esset, *Lechnik* arx munita in Germaniâ sita â Lecho condita credenda erit; eoque ipso Lechum in Germaniam longè latèque extendisse potentiam suam, sequatur oportet: ut vult Glitsnerus *d. loco.* Id extra controversiæ aleam positum est; *Wenedos, h. e. Slavos Illam partem Germaniæ, quæ â Wandalis olim tenebatur, iisdem v. perpetuis bellis exhaustam occupâsse*: Ut id viri in omni Antiquitate versatissimi asserunt; RENANUS *Rerum Germanicarum Lib. 1. p. 83. Lib. 2. p. 93.* CHITRÆUS *in Wandalia pag. 1. & 2.* MICRELIUS *Lib. 2. Pomeraniæ.* & alii quam plurimi allegati ab HENRICO BANGERTO, commentatore HELMOLDI *in CHRON. Slavorum lib. 1. c. 2. pag. m. 10.* Inde fortè ortus error;

An Germanos, eorumq; Regulum devicerit.

Venedos seu Slavos in Germaniam usque penetrasse, & ab occupatis sedibus Vandalos dictos probatur.

ror; quod â novis sedibus, quas occuparunt Slavi, Wandali posteà â scriptoribus quibusdam dicti fuerint: quam rationem, ortæ scilicet Vandalorum & Venedorum confusionis haud raræ, admittit celeberrimus Polyhistor. Becmannus in Histor. Orbis Terrar. *P. 1. c. 9. S. 1. §. 8.* Addit Bangertus, *d. loco sect. 5. pag. m. 12.* Hi Venedi, intra breve spatium in novis sedibus magis magisque confirmati plerisque vicinis jam fuêre formidabiles, & terris ad Mare Balthicum non contenti, non modò Europæ partem maximam occuparunt, per Lusatiam, Morawiam & Bohemiam, & in Illyricum usque se diffundentes, sed etiam nova regna condiderunt. Nam circa annum Christi 550. *Lechus Slavus Poloniâ occupatâ regnum in eâ constituit.* Nec diu post Zechus Dux ex eâdem gente, Bohemiæ regnum auspicatus est. Saxones, qui viciniores, frequentius illorum incursibus, ita vexati fuêre, ut cum Longobardi Anno 567. in Italiam cum familiis integris transirent, hi se illis jungerent. Quorum tamen supercilium fastidientes, post annos XII. ad antiquam patriam reversi sunt: pugnatum quidem contrà illos sæpiùs est; sed ipsi aut victores ex prælio discesserunt, aut victi paulò post fortiùs insurrexerunt. Quanquàm & Thassilo, Bavarorum Dux Anno Christi 595. magnâ de iis in Bohemiâ potiretur victoriâ, tamen ipsi reparato exercitu, Cagano, Avarum Duci se jungentes, cum eodem vicinas Terras fœdè depopulati sunt.

Bangerti compendiosa de Venedorũ Extensione relatio.

Elati igitur prosperis rerum successibus inquietissimi homines, & optimis, iisdemque amplissimis terris non acquiescentes, longiùs etiam seculo octavo & sequentibus in Romani Imperii fines progredi summis viribus tentarunt. Hinc verò perpetua & molestissima bella singuli Imperatores Romani, Reges Germaniæ, & Duces Saxoniæ, â Carolo M. usque ad Fridericum Barbarossam & Henricum Leonem ultra annos trecentos, contra prædatricem istam gessere gentem.

§. III.

Slavorum, seu Polonorum Coloniæ in Daniam factæ excursiones, quo successu?

Eosdem *Slavos* (ita enim â *Saxone Grammattico* appellati, â *KRANTZIO Wandali* dicti) superatâ omni ferè Germaniâ in Daniam usque penetrâsse, volunt quidam è Scriptoribus. *SaxoGrammatticus* eos Frotoni Tertio, Regi Daniæ Bellum intulisse, factâ in regno ejus belli sede, repressos tamen, amisso, vel interempto potiùs *Strunico* Rege, scribit *Lib. 5. Hist. Danicæ fol. m. 46.* Idq; trigesimo quarto ante Christum anno accidisse creditur. Sit fides penes Autorem. Idem *OMUNDUM* Regem *Slavos* prœlio contudisse, solitumque tributi jus victoriâ confirmasse memorat *lib. 8. fol. 79*; sed inclinante iterum ad *Slavos* fortunâ, *Siwardum I.* Daniæ Regem anno Christi 344. aliquot præliis cæsum, Jutiâ & Scaniâ exutum, ipsamque Daniam Slavis vectigalem factam, fatetur: dicto *lib. 8. fol. 82.* Quanquàm successu temporis sæpiùs utra-

utraque Gens alternas sortis vices experta fuerit, eodem Autore passim id innuente. Hi Slawi colonia fuere Polonorum (non verò gens ipsa matrix polona, quæ proprias sedes tunc incoluerat) quæ, ditionibus Wandalorum jure belli occupatis, Regibus Daniæ vim inferre tentavit, sæpè victrix, sæpè devicta. Favet huic opinioni Kranzius, qui specialiâ de Polonis, specialia de Wandalis memoriæ tradit; Et quæ hactenus de Slavorum expeditione ex *Saxone* relata sunt, Historiam rerú â Wandalis gestarum ingrediuntur apud KRANTZIUM. *Wandaliæ lib. 1. c. 13.* Iisdem ferè temporibus, Seculo sc. IV. Slavis *Vizimirum* Ducem è Prosapiâ Lechi ortum imperâsse, & sub ejusdem auspiciis expeditionem in Daniam factam volunt WAPOVIUS & cum eo Gvagvinus *pag. 8.* Glitschnerus *in vitâ Visimiri*, Cromero non reluctante penitus *pag. 26. & 27.* Sarnicio id fusius deducente. *Annal. Polon. L. 4. p. 173.* Adduntur conjecturæ, â conditis civitatibus depromptæ: Earum altera *Wismar* â *Wisimiri* nomine, altera *Gedanum*, â *Danis* devictis appellatæ, indicium videntur esse non contemnendum, extensæ Slavorum in Daniam usque potentiæ. Ostendunt id nomina civitatum in Germaniâ potiorum, ut *Rostock*, *Stargard*, *Dresna*, *Lipsia &c.* Quæ mera Slavonica memoriam gentis adhûc servant, ipsis Germanis, aliisque exteris Scriptoribus non diffitentibus. Ad *Wisimiri* gesta redeundum. Defensioni suscipiendæ obstaret illicò synchronismus difficulter conciliandus. *Wisimirum* enim, ex

An Wisimir Germaniâ potitus fuerit.

Conjecturæ â nominibus urbium conditarum depromtæ.

Synchronismi non rectè habiti arguuntur annales.

ex ſententiâ Poloniæ Scriptorum, è nepotibus Lechi ortum, Seculo VII. vixiſſe oportuit: Cum res ab eo geſtæ partem hiſtoriæ ſeculi 4ti conſtituant. Oppugnationem verò ſuſcipiendam prohibet amor patriæ debitus: Et cur tam temerè ſuſcipienda: Ubi adverſarum partium defenſores ſententiæ huic ſponte ſubſcribunt. Sed ne falſis aſſentiri videar; Id aſſerere ſine veritatis jacturâ licebit: Polonos (& Eorum coloniam) potentiſſimam ab omni ætate gentem fuiſſe, & ut, poſt alios, Peuceri Scriptoris Germani judicio rem definiam, *perpetua in littore maris Venedici bella geſſiſſe. lib 4. Chron. p. m. 477. In vitâ Henrici IVti:* Adeoque non ſubjectam ulli in Germaniâ Imperantium, vel etiam ab alio ſeptentrionalium penitus ſubactam; Quin potiùs potentiâ omnibus, tunc temporis, vicinis Imperantibus prævaluiſſe.

Securior ſententia Polonæ Genti id tribuit, quod alii operosè certis ex gente illâ Principibus adſcribunt.

§. IV.

Exſtinctâ Lechi familiâ, ſummum pacis belli que arbitrium, *duodecim Palatinis*, commiſſum, infelici tamen, proh! dolor, ſucceſſu. Quisque eorum ambitione ductus, ſibi vivere, publici curam negligere, bellis inteſtinis patriam divexare, ac penè non evertere. Quò factum, ut hoſtes, quibus anteà nomen & arma Polonorum terrori erant, videntes malis hiſce Poloniam contundi, occaſione arreptâ eam invaderent, igne ferroq; graſſantes, ut memorant ex Dugloſſo & Wapowio Cromerus *lib. 1. d. capite.* Gwagwinus

Sub. 12. Palatinis Poloniæ ſtatus infelicior.

nus *pag. 8.* & alii ſcriptores Poloni, quibus addatur Kadlubko *pag. 32. & ſeqq.* Seneniùs verò mox Aſtrum Poloniæ, ſub *Craci* auſpiciis, apparuit: Hic hoſtes patriæ, alios fœderibus ſibi adjunxit, alios rebelles jugumque excutientes armis coercuit, fineſque Regni ſui ab ulteriori inſultu immunes fecit. Hinc celebris fama fuit hujus Polonorum Principis, quâ permoti Bohemi, Polonorum conſangvinei, ipſi quoque ſibi eum Principem adſciveṙe: Ut id patet ex iisdem hiſtoriæ Regum Commentatoribus. Hìc contra iſtam ſententiam BohemiæScriptores inſurgunt, aſſerentes, Cracum illum Bohemum atq; apud ſuos Regem fuiſſe; Ab Eodem arcem ejuſdem nominis in Bohemiâ propè Stemnam (Stebnam aliàs) exſtructam. Nec ſine injuriâ Nationis noſtræ adſtruere conantur, Cracum nempe Bohemum Polonis ſimul imperâſſe: Ita Æneas Sylvius Hiſt: Bohem: cap. 4, & cum eo Hagecus, ſervus Imitator; Ita Dubrawius *Hiſt. Bohem. lib. 1. p. 6. & 7.* Et Balbinus Lib. 1. Epit. Bohem. cap. 10. pag. 82. ſentiunt. Quid jam conſilii, in hoc patriorum ab exteris monumentorum diſſenſu? Ad arbitrium ergò exteri Judicis, in causâ extra odium ejus vel amorem, poſitâ recurrendum. Sit arbiter Cureus Scriptor Germanus, diſſenſum hunc ſequenti deciſione dirimens: *Abrogato*, inquit: *rurſus ſtatu ariſtocratico, delatum eſt Regnum ad quendam Cracum, quem multi ineptè nominant Grachum, & affingunt fabulas de Romanâ origine: Ille condidit urbem in veteri ſede, Quadorum*

Cracus eundem priſtinæ felicitati reſtituit, bellis ac fœderibus.

à Bohemis quoque ad Principatum vocatus.

An Cracus Bohemiæ Princeps fuerit, an vero Poloniæ diſquiritur.

Refutantur Scriptores Bohemi,

(1) *Scriptorum Germaniæ & Exterorum testimonia minus suspecta.*

Cracowiam. Mortuo Patre Craco & filio Lesco, regnasse dicunt, apud Polonos puellam Wendam filiam Craci, viraginem animosam, quæ fortiter defendit Patriam adversus vicinos, & fermè eodem tempore Bohemica Historia narrat, de puella Valasca, quæ Bohemiam septennium cum suis virginibus obtinuit, Annalium Silesiæ p. 27. Et *Münsterus* itidem Germanus disertis verbis scribit: *CRACUM ad radices montium Sarmaticorum juxtà Istulam commorantem electum Regem. Et cum suis amabilis esset, erexit arcem habitationis suæ in Colle Wawell, supra fluvium Istulæ sito, & ei civitatem adjecit, atque de suo nomine Cracowiam appellavit. Lib. IV. Cosmograph. pag. 888. & 889.* *Sabellicus*, Cracowiam â Craco Sarmatiæ Duce exstructam, & â nominis ejus derivatione appellatam scribit eo in loco, ubi de Poloniâ, maximâ Sarmatiæ parte, loquitur *Enneade 10. lib. 4. pag. 697.*

(2) *Ob odium Æneæ Sylvii, Dubravii & aliorum Scriptorum Bohemicorum & recentiorum Germanicorum in Polonos.*

Suspecta porrò Bohemorum Scriptorum testimonia reddunt odia vatiniana, quæ in Polonos fovent, proditore sui ipsius *Dubrawio*, plurimis in locis. Quis *Æneæ Sylvii* in Polonos affectus fuerit, non sine fundamento conjicit CROMERUS. *Æneas Sylvius*, inquit: *Vir Magnus quidem, & in magnis rebus versatus, sed vel Polonis, ob negatam Episcopiam Warmiensem, nimiò plus iniquus, vel â Bohemis, malè edoctus, cum quibus Friderici III. Imperatoris tempore familiariter vixit. Lib. 3. p. 55.* Idem affectus â recentioribus Germaniæ vel Bohemiæ Scriptoribus exspectandus;

dus; cum eâ ætate vixerint, quâ Bohemi Imperio Romano vel arcto fœdere juncti, vel tributarii redditi, vel pleno subjectionis titulo serviere.

(3) *In defectu antiquorum monumentorum, an major fides Polonis, an Bohemis annalib9 habenda?*

Taceo defectum antiquorum monumentorum: Quo casu cur major fides Bohemis, causam Gentis nostræ, plus æquo acerbiùs oppugnantibus, quam nostris Scriptoribus rem gestam sine affectu odii vel amoris referentibus habenda? In hâc testimoniorum pugnâ, pro libertate Gentis nostræ, æquitatis rationem militare Sectione II. ostensum.

(4) *Neglectus temporis ostenditur.*

KRANTZIUM neglectæ temporis rationis reum faciunt hæc verba; CROCUS in Bohemiâ successit Ceto, cujus hoc solum fertur insigne, quod nomine suo fundatam reliquit Cracowiam: tum Bohemis, nunc Polonis paret *Lib. 1. c. 17.* Quam verò Cracowiam in Bohemiâ, an in Poloniâ sitam intellexerit, non exprimit. In hac, Poloniâ sc. sitam intellexisse credendus est; cum tempore Boleslai (non ut ille refert, tempore Croci) â Bohemis primùm expugnatam, posteâ â Polonis recuperatam fuisse, fateatur Dubrawius *Lib. 6. pag. 48. & seqq.* Quàm immensum intermedii temporis spatium! Croco initio seculi 7. Boleslao verò circa finem seculi X. imperantibus. Non ergò, successionis Jure â Croco Bohemo derivato, Cracowia Bohemis paruit, sed, longè post ea tempora, vi armorum ab illis expugnata.

(5) *Duos forte Cracos alterum Polonum, alterum Boemiũ fuisse, docetur.*

Et quid vetat conjicere? Eadem Regno utriq;, iisdem ferè annis, accidisse fata; cum eadem regnorum initia fuerint, eadem regnandi moderatio, æqualia ferè jura: Ob-

Observante *id Dubrawio lib. 1. p. 5.:* Adeò, ut gens altera, alterius imitatione, regnandi formam immutare, utile non minùs, quam gloriosum sibi duceret. De consimili multarum Rerumpublicarum facie, sui temporis historiam refert Priolus verbis sequentibus. *Vides eodem tempore fata Galliæ, vides Angliæ, Neapolis, Cataloniæ, & Lusitaniæ, quæ ruptâ fide hactenus Philippis servatâ, instinctu, impetu Bragantiæ Ducem in Regem elegit lib. 2. §. 42.* Nec nominum similitudo, unum Bohemis æque ac Polonis, eundemque imperasse Regem, certò concludit. Monstrant enim Annales sequentis ætatis, eodem tempore duos Boleslaos alterum Poloniæ, Bohemiæ alterum, præfuisse certè diversos â se invicem, utpote quibus nunquàm, aut rarò inter se convenisse, Bohemis æque ac Polonis monumentis constat. Diversos porrò Cracos, Polonum, nempe, & Bohemum, certo indicio, ex Genealogiæ â Bohemis Polonisque factâ deductione, constat: Craco Polono filia Wenda Regni patrii, ast Bohemo Libussa filia Bohemici hæres exstitisse fertur, conspirantibus hic Poloniæ & Bohemiæ annalibus. Annuit illis Cureus *d. l. p. 27.* in eo tantum errans, quod *Valascam* Croco mox substituat, cùm tamen illa post Libussæ demum mortem imperium invaserit, nullo certe jure; sed præstigiis aliisque artibus malis; ut refert Bohemus Scriptor Dubravius *L. 2. p. 11.* Aut ergò jam â propriis Regibus utramq; gentē separatim gubernatam fuisse admittas, necesse est, aut Polonis idem jus, ne dicam potius, in Bohemiam fuisse concedendum erit. Cœterùm præjudicium subjectio-

(6) *Sæpe æqualia multis regnis eodem tempore fata.*

(7) *Argumentum â similitudine nominū fallax.*

(8) *Diversa Croci Poloni prosapia â Posteritate Croci Boemi.*

Nullum E. Boemiæ in Poloniā jus esse inde deducitur.

jectionis non inferre, etsi statuamus Regem Bohemiæ Polonis imperâsse, supra fusiùs evictum.

§. V.

WENDAM in locum *CRACI* surrogatam fuisse, patriis præcipuè, documentis evictum: Illi cum RITTIGERO Germaniæ Regulo negotium fuit. Captus enim formâ virginis egregiâ, conjugium ejus ambit, iteratisque, sed in vanum, precibus instat, ac minas tandem adjicit. Sed illa nec precibus, nec minis permota repulsam Proco dedit; Quapropter Germanus contemptui se habitum credens, armis, vim precibus addere volens, Bellum Wendæ infert, sibi inglorium, summâ verò cum laude Nationis nostræ confectum. Cæsus enim Rittigerus, fugam dedit, cæteriq; Germani, ictis cum Vendâ fœderibus, è finibus Poloniæ excesserunt. Ut id tradunt Kadlubko *pag. 41.* Cromerus *p. 30.* Gvagvin. *p. 10.* Glizner. in Hist. Vendæ *HERBURTUS lib. 1. c. 6.* & è Germanis Cureus *d. l. p. 27.* & Munsterus Cosmogr. *p. 4.* Micrelius idem sentit; præter quod Rittigerum Ducē Rugianum fuisse velit. *Lib. . Chron. Pom. n. 22. pag. 161.* Sed post Vendam nova iterum Polonici Imperii Periodus perniciosissima subsequuta, duodecim Palatinis electis. Quæ enim in Inimicos convertenda essent arma, in se convertentes, ambitioneq; flagrantes multis cladibus inter se diffidebant; quâ de causâ Marcomannis, Hunnis & Germanis Poloniæ fines ferro ac igne tentandi nova iterum occasio. Sed Præmislai seu Leski I. armis repressi Germani & cruento posteà prœlio, omnes ferè deleti fuēre. iisdem autoribus id referentibus. §. VI.

Vendæ de Germaniæ Regulo victoria reportata.

Status Poloniæ sub Palatinis iterū deterior factus.

Redintegratur â Premislao.

§. VI.

Obscuri hactenus annales, & Regum res fortiter gestæ posteritati vix innotuere.

Hactenus obscuris & dubiis, in defectu meliorum, locus fuit monumentis; more ætatis illius, quâ paucissimi Principes & Reges cæterique Polonorum heroes suorum facinorum meruerunt scriptores; nonnullorum verò fama cum ipsis exstincta & sepulta, Duglosso Seculi XV. Scriptore, fata Regum, Regnique nostri iisdem fere verbis dolente. *in Epist. dedicat. ad Zbigneum Olesnicium Episcopum Cracoviens.* Interim, quantum ex Patriorum, cum exteris, monumentorum collatione conjicere licuit; Poloniam hactenus â nullo extero Rege devictam aut Tributariam factam, exhibere satis fuit. Jam recentiora monumenta Patriæ libertati adversa expendenda, atque excutienda instant. Majori verò studio in argumento hoc dignè tractando opus est; eò quod â Seculo jam Instanti VIIIvo sc. momentum quæstionis dependeat omne; Germanis Scriptoribus unanimi ferè consensu; *Poloniam tum â Romano Germanico Imperio Tributariam factam*, asserentibus.

§. VII.

An Lechi II. & III. cum Carolo M. bella gesserint.

Eâ ætate LECHO II. Patri & Filio ejusdem nominis III. cum *Carolo M. Imperii* occidentalis seu Romano Germanici Monarchâ Potentissimo gravia intercessisse bella, memoratur: quo successu, quâque Polonorum gloriâ, aut opprobrio, docebunt Scriptorum Judicia, æqua tamen ab iniquis discernenda. EGINHARDUM (qui propriâ confessione & Abbatis Urspergensis Testimonio, CAROLO M. coævus SCRIPTOR fuit) ante omnes differentem audiamus *in lib. de Vitâ CAROLI M.* His, inquit: *motibus ita compositis, Slavis qui nostrâ Consvetudine Wilsi, propriè verò, hoc est suâ lingva Welatabi dicuntur,* illatum est bellum — — — *Causa belli erat, quod Abotritos, qui cum Francis erant fœderati, assiduâ incursione lacessebant, nec jussionibus coerceri poterant.* — — — — — *Hos Valatabos Rex unâ tantùm & quam per se gesserat expeditione ita contudit, ac domuit, ut ulteriùs imperata facere minimè renuendum judicarent. pag. 6. num. 20. & 30.* Et paulò post addit: *Omnes barbaras & feras nationes, quæ inter Rhenum & Vistulam fluvios, Oceanumque & Danubium positæ, lingvâ quidem penè similes, moribus verò ac habitu planè dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias effecerit, inter quas præcipui sunt Velatabi, Sorabi, Abotriti, BOHEMANNI pag. 7. num. 30.*

Documenta ejus rei producuntur ex Eginhardo coævo Carolo M. à quo Slavi, Velatabi, Sorabi, Abotriti, Bohemanni tributarii facti.

Addamus *Eginhardo* interpretes sequentes. Ita *Astronomus* quidam, Ludovici Regis Domesticus, in *Annal. Regum Francorum*, sequentem in modum differit: *Intereà Regi allatum, quod Sorabi Slavi, qui campos inter Albim & Salam interjacentes incolunt, in fines Thuringorum & Saxonum, qui eis erant contermini, prædandi causâ fuissent ingressi, & direptionibus atque incendiis quædam loca vastassent, quorum audaciam compressisse dicitur ad Annum*

Seqvuntur relationes Astronomi cujusdam Ludovici Domestici.

Annum 782. pag. 24. Pergit dictus Autor sequentibus: *Natio quædam Slavorum est in Germania, sedens super littus Oceani, qui propriâ lingvâ, Welatabi, Francica autem Wilsi vocantur, ea Francis semper inimica, & vicinos suos, qui Francis vel subjecti, vel fœderati erant, odiis insectari, belloque premere, ac lacessere solebat. Cujus insolentiam Rex longiùs sibi non ferendam ratus, bello eam aggredi statuit, comparatoque ingenti exercitu Rhenum apud Coloniam trajecit: Inde per Saxoniam iter agens, cum ad Albiam pervenisset, castris in ripâ positis, amnem duobus pontibus junxit: quorum unum ex utroque capite vallo munivit, & imposito præsidio firmavit. Ipse fluvio transito, quo constituerat exercitum duxit, ingressusque Wilsorum terram, cuncta ferro & igne vastari jussit. Sed gens illa, quamvis bellicosa, in suâ numerositate confidens impetum exercitus Regii diu sustinère non voluit: ac proinde, cum primùm ad civitatem Dragawiti ventum est, Wilzam (nam is cæteris Wilsorum regulis & nobilitate generis, & auctoritate Senectutis præeminebat) ex templo cum omnibus suis ad Regem de civitate processit, obsides, qui imperabantur dedit, fidem se Regi & Francis servaturum jurejurando promisit: Quem cæteri Slavorum Primores ac Reguli secuti, omnes se Regis ditioni subdiderunt.*

Wilsi cum Regulo suo Carolo M. subjecti.

Ad annum 789. pag. 27. & 28. Idem *Obotritas* Caroli M. Socios ejusque potentiâ fretos Saxonibus & *Wilzis* bella sæpiùs intulisse, scribit *ad Annum 795. p. 30. Et ad Annum 798.* Normannos

nos ab illis devictos refert. Ad annum verò *805. p. 34.* misisse Imperatorem exercitum suum cum Filio suo Carolo in terram *Slavorum*, qui *Behemanni* vocantur, qui omnem illorum patriam depopulatus, Ducem eorum, nomine *LECHONEM*, occidit. Pergit *ad Annum 800: Et inde post non multos dies Aquasgrani veniens, Carolum Filium suum in terram Slavorum, qui dicuntur Sorabi, & sedent super Albim fluvium cum Exercitu misit; In qua Expeditione MILIDUOCH Slavorum Dux interfectus est.* Continuatam de *Slavis Wilsis* & *Sorabis victoriam exhibet ad Annum 809. Annum 812, 816. Albertus Stadensis* iisdem ferè verbis rem exprimit; *Rex*, inquit: *Contrà Slavos qui Wilzi dicuntur ducens Exercitum Albiam duobus Pontibus transivit, & alterum ex utroque capite vallo & turri munivit, & tamdiu terram eorum vastavit, donec eos subjecit. ad annum in Chron. ad annum 789. fol 83.* & *sequenti fol. 84.* Obotritos Carolo fideles appellat *ad annum 798.* Distinctiùs verò adhuc de Slavis Bohemis, *fol. 85. ad annum 805.* CAROLUS Filius Imperatoris missus à Patre, *Bohemiam totam depopulatus est, & Ducem illius terræ Lechonem occidit.* SIGEBERTUS GEMBLACENSIS generaliùs idem negotium describit, & quidem in Chronograph. suâ ad annum *789. pag. m. 556.* CAROLUS — — *Slaviam ingressus eam sibi subigit: ad Annum vero 806. pag 559: Bethemanni*, inquit, *Slavis auxiliantibus ubique grassantur, sed à Carolo Imperatoris* Filio

Bohemanni devicti Duce eorum Lechone occiso.

Sorabi oppressi, amisso Rege.

Alberti Stadensis testimonio id confirmatur.

Obotriti Carolo fideles.

Item Sigeberti Gemblacensis.

Filio fortiter debellantur: porro ad annum 810. CAROLUS *in tres partes regni sui, tres Exercitus misit — — — unum in Pannoniam*, qui reliquias *Hunnorum & Slavos compresſit:* ADAMUS BREMENSIS, Carolum Slavorum gentes Francorum Imperio ſubjeciſſe, & tributo ſubegiſſe, ſcribit *in Hiſtor. Eccleſ. lib. 1. cap. 12. & 13.* REGINONIS PRUMIENSIS relatio paulò clarior his verbis expreſſa habetur *lib. 2. pag. 35. ad annum 805: Eodem Tempore miſit Exercitum cum Filio ſuo Carolo ſuper Slavos, qui vocantur Bohœmi, qui omnem terram eorum depopulantes, Ducem eorum, qui appellabatur LETZO, occiderunt.* De iisdem Slavis, SORABIS, WILZIS, LINONIBUS, BOHEMANNIS, â Carolo M. devictis ſeriem hiſtoriæ ſuæ texit *pag. 36. num. 50. pag. 37. num. 10, 20, 40. pag. 38. num. 20. pag. 39. n. 10, 20, 50.* HERMANNUS CONTRACTUS ſub nomine Slavorum devictorum Wilzos intelligit. *in Chron. ſuo ad annum 780. p. 194.* ABBAS URSPERGENSIS non tantùm in relatione facti, verùm etiam ſimilitudine verborum cum ABBATE STADENSI convenit. *pag. 176. in med. & pag. 177. in fin. pag. 186. in med.* LAMBERTUS SCHAFNABURGENSIS Wilzorum â CAROLO devictorum meminit. *ad annum 788. p. 153.* Idem facit MARIANUS SCOTUS *Lib. 3. Ætat. 6.* Chronici ſui *pag. m. 439. ad annum 789.* Et ad *Annum 803. & 804.* LECHONEM BOHEMORUM Regem *â Carolo occiſum* memorat. Conf. Haræus *in Annal. Brabant. Tom. I. p. 55.* MUTII relatio & ſenſum &

Adami Bremenſis. *Reginonis Prumienſis.* *Hermanni Contracti.* *Abbatis Urſpergenſis.* *Abbatis Stadenſis.* *Lamberti Schafnab.* *Scoti.* *Haræi.* *Mutii.*

& verba EGINHARDI de Slavorum ſubjectione, continet. *Lib. 8. Chron. German. pag. 57.* Et *lib. 9. p. 70.* de Bohemis â Carolo devictis integram Hiſtoriam refert, eamque claudit ſequentibus: *Perierat Bohæmorum Princeps LECHON: Carolus imperat obſides, conditiones fœderis præſcribit; quid ſingulis annis Carolo M. tribuere debeant, ſtatuit.* AUTOR *Chron. magni Belgici* refert, Carolum Slavorum terram ingreſſum ſubegiſſe *pag. 41.* Et cum eo HELMOLDUS *in Chron. Slavorum Lib. 1. c. 3. num. 9.* quanquàm ſpecialiùs Helmoldi mente interpretetur CRANCIUS, qui Wilzorum â Carolo devictorũ meminit: cui addatur WOLTERUS Chron. Brem. *p. 23. L. 2. c. 23.* PEUCERUS Sorabos devictos fuiſſe ſcribit. AVENTINUS Venedos in Luſatiâ & Marchiâ Brandeburgenſi ſitos â Carolo M. devictos, eorumque Regem ſubjectum ac Vaſallum Imperii Romani factum, ſcribit, addens: Carolum usque in Poloniam ad Viſtulæ oras omnem terram Venedorum ſub obſequium redegiſſe. *L. 4. Hiſt. Bojor. pag. 567.* Et paginâ ſequenti *568.* Zechum Boemiæ Ducem â Caroli M. filio victum, Boemiamque Regno Franciæ adjectam.

Autoris M. Chron. Belg. *Helmoldi.* *Crancii.* *Wolteri.* *Peuceri.* *Aventini.*

§. VIII.

Horum allegatorum partem Hartknochio debitam, partem operâ meâ congeſtam, utramq; ex ipſorum Autorum Libris deſcriptâ ingenuè trado; ut quid inde, in præjudicium Nationis noſtræ, elici poſſit, Lector ab omni affectu liber ipſe judicet. Addenda vero inſuper iſtis antiquis monumentis, recentiorum Scriptorum judicia, plus

 æquo

æquo Patriæ noſtræ adverſa. Et ne cum turbâ nobis res ſit; demus illi *Curæum* cauſæ inviſæ advocatum. *Poſtea*, inquit ille, *recenſentur duo Lechi, Pater & Filius, quibus intercesſit bellum cum Carolo M. quod incidit in Annum Chriſti 786. aut circiter; & excitatum eſt hâc occaſione, aut metu potentiæ Hungaricæ; conjunxerunt ſe cum Hungaris adverſus Germanos. Eos repreſſit Carolus, & ex Pannoniâ ſuperiori ejecit, erectâ contra eos Marchiâ Orientali, quæ deinde nominata eſt Auſtria. Polonos etiam Carolus terruit, & ad petitionem pacis adegit, qui Aquisgrani per Legatos reconciliati ſunt Carolo eâ conditione: ut perſpicuè teſtantur illius ſeculi ſcriptores, Eginhardus & alii, ut Imperatori ſolverent tributum.* Annal. Sileſ. *p. 28.* Ex antiquis *Gotfridus Viterbienſis* (qui tempore Conradi III. vixit) non infimum Curæo præbere videtur fulcrum, cui innitatur. In deſcribendis enim Caroli M. terminis ſollicitus, â Bulgariâ ac Illyrico usque in Hiſpaniam & â Dania usque ad Pharum Siciliæ extendit, *exceptis adjacentibus*, addit *regionibus, utpote Boemiâ, Poloniâ, Dalmatiâ, Hiſtriâ. P. XVII. p. 458.* Iisdem verbis termini Carolini Imperii circumſcribuntur ab Auctore *Magni Chron. Belgici p. 44. n. 33.* Accedit Helmoldi relatio nimiùm quantùm Libertati Regionis noſtræ infeſta: *Polonia — — — quondam habuit Regem, nunc autem Ducibus gubernatur. Servit & ipſa, ſicut Bohemia, ſub tributo Imperatoriæ Majeſtatis.* Chron. Slav. *L. 1. c. 1. n. 9.* Sequitur

Curæus ex Eginhardo concludit: Polonos fuiſſe tributarios.

Viterbienſis quoque & Helmoldi teſtimonio id corroboratur.

eundem

eundem *Crancius L. 2. c. 19.* verbis iisdem, ex Helmoldo, textui ſuo inſertis. Paulò mitiùs diſſerit M. Antonius Sabellicus inquiens. *Proſperè bellatum fuit â Carolo, qui & ipſe Caroli M. filius fuit: interfecit eorum Ducem, omnemq́; eorum terram, quatenus colitur fœdè populatus eſt: illatum inde bellum Slavis, — — — Reverſo deinde Aquisgranum (ſc. Carolo M.) Slavorum, Polonorum & Boemorum Legati cum ampliſſimis muneribus præſtò adfuerunt. Horum poſtulata fuère, ut pax ſibi cum Gallis, quorum Rex erat Carolus, incolumis maneret.* Ennead. VIII. *L. IX. p. 458. 459.* His præcipuè Autoribus claſſicum canentibus, noviſſimi Hiſtoriarum compilatores in evertendam Nationis noſtræ libertatem, unanimi ferè conſenſu, conclamare ſolent.

Sabellicus mitius ſentit.

§. IX.

Sit ergo jam præcipuum quæſtionis momentum, â cujus præjudicio Libertatis Polonæ jactura aut robur dependat. *An, ſub nomine Slavorum, Poloni â Carolo M. devicti aut Tributarii facti præſumendi ſint?* Equidem non inficior, Polonos olim magnam Slavorum partem conſtituiſſe; Aſt omnem gentem Slavicam Polonorum nomine & limitibus circumſcribere velle, eſſet, vim ſanæ concludendi rationi inferre: nec inferunt præjudicium: *omnem nimirum Slavorum gentē â Carolo M. ſubjectam.* Docent enim Rhetores tropum ſapere iſtam phraſin, quæ partē pro toto exprimit: Et rectè monet Grotius ma-

An ſub nomine Slavorum devictorum Poloni intelligendi.

(1) Reſp. neg. ex falſa concludendi ratione.

 teriam

teriam, de quâ agitur, semper intelligendam esse, observatâ animo loquentis vel scribentis, etiamsi verba latiùs pateant *lib. 2. c. 16. Thes. 24.* Ipsos enim consule Autores citatos, optimos verborum suorum Interpretes, qui *Welatabos*, seu *Wilzos*, *Luiticos*, *Sorabos*, *Obotritas*, *Bohœmannos*, amplâ illâ Slavorum voce compleĉtuntur. De Polonis apud illos altum est silentium. Illâ autem ætate Polonorum nomen non adeò fuisse obscurum, ut ab EGINHARDO, aliisque proximis annalium scriptoribus, sine magno Laudum Carolinarum detrimento potuerit omitti, rectè observavit HARTKNOCH *d. l. lib. 1. c. IV. Thes. 9. p. 47.* Adamo Bremensi *Polani*, & Ottoni Frinsingensi ac Wipponi *Bolani* dicti: Forte verò & hîc error non infimus, cum *Polabi*, seu *Polavi*, gens Slavica â Polonis diversa fuerit, notante id Bangerto *p. 11.* Inversa enim litera *n.* facit *u.* & literæ *P. & B.* sœpiùs confunduntur ex accentus apud exteros purioris defectu. Accedit, quod HELMOLDUS, in Slavicâ Historiâ versatissimus Scriptor, Polonorum quidem magnam Slavorum provinciam appellet *Lib. 1. Chron. Slavic. c. 1.* eandem tamen â reliquis Slavorum Provinciis ita separet, ut ferè nomine Slavoniæ Poloniam gaudere non patiatur. eodem libro I. *c. 2. n. 1.* verbis. *Ubi ergo Polonia finem facit, pervenitur ad amplissimã Slavorum Provinciam.* HELMOLDO subscribit KRANTZIUS *Lib. 2. c. 10. num. 24.* Quâ distinctione inter Polonos & Slavos præmissâ, HELMOLDUS *c. 3. num. 9.* Slavorum gentes â CAROLO

(2) *ex interpretatione autorum.*

ROLO domatas refert. Ecce, sole meridiano clariorem Slavici nominis sensum! Si ergò jam nulla est conjectura, quæ ducat aliò, verba intelligenda erunt ex proprietate non Grammaticâ, quæ est ex origine, sed populari, quæ est ex usu, uti iterum monet *Grotius alleg. loco. §. 2.* Ejusdemque rationem, inter Jureconsultos notissimam, hîc in subsidium trahimus: *In odiosis* (quorum numero amissio libertatis meritò venit) *sumenda esse verba secundum proprietatem usus vulgaris, & quo onus vitetur*, Thes. 12. Redeo ad Hartknochii deductionem, argumento â limitibus Imperii Carolini deprompto, illustratam: Immò, inquit ille, cum Flavius Blondus *decad. 11. Lib. 1. in fin. p. 175.* & Bonfinius *Decad. 1. Lib. IX. Hist. Hung. p. 175.* tempore CAROLI M. Salæ & Albi fluviis præsidia contrà Sorbienses Slavos imposita fuisse, scribant, firmiter inde concludi posse videtur, CAROLUM M. tunc Polonorum gentem non domuisse. Quid, quod neque SORABOS omnes CAROLUS subegit, sed eos tantum ultra Albim compulit. vid Petr. Albinus in der Meißnischen Land Chronick: *tit. VIII. fol. 56. & seqq.* Quàm manifestum vero id pro nostrâ sententia argumentum est, quod Autor Chron. M. Belgici, intra fines Imperii CAROLINI non recenset Poloniam, quando ait: *Regni CAROLI M. terminus fuit â Bulgaris usque ad Hispanos, & â Danis usque ad Calabros, exceptis adjacentibus quibusdam Regionibus, Poloniâ, Bohemiâ, Dalmatiâ, Histriâ, Venetiis & Britanniâ. Et quidquid tenuit* Caro-

(3) *A limitibus Imperii Romani.*

Carolus, adhuc duo Regna sunt, Romanorum & Francorum, solâ Pannoniâ exceptâ. Hæc Autor Chron. M. Belgici *ex Aberico p. 44.* Dubia tamen videtur locutio, quâ *Godfridum Witterbiensem* usum quoque fuisse, suprà indicatum; Videntur enim verba dicta hunc habere sensum: Devictam nempe ferè universam Europam, subjugatis quoque Polonis, Dalmatis, &c. quos tamen silentio quàsi præterire voluerint dicti Autores. Verùm etsi locus Interpretationi huic daretur; quæ fides habenda Witterbiensi & Autori M. Chronici, allegantibus obiter negotium, non probantibus; quo Jure, quove titulo armorum, vel spontaneæ submissionis CAROLUS Poloniam suam fecerit? Antiquiores silent, nec falsò rumore deceptis recentioribus idcircò credendum. Præstat verò, verba illa aptiori diluere interpretatione: nimirùm, *adjacentes illis, non inclusas* fuisse Imperio Romano Germanico Regiones; *Exceptas* quoq;, h. e. *Ab Imperatore in modū Provinciæ non fuisse redactas.* Constat enim Venetos à PIPINO & CAROLO non victos, sed sæpè magnâ Gallorum clade, victoriâ de Exercitu Eorum navalem reportâsse: Teste Sabellico *Lib. IX. Ennead. 8., p. 458* Idem ergò jam & de Polonis concludere liceat, quorum ut devictorum nullam ab antiquis Scriptoribus, hàc in causâ, mentionem factam suprà expositum. MUTII relatio, quâ Poloniam, Daniam, Pannoniam, Germaniæ Regiones appellat, hominem ageographum eundem fuisse, sufficienter innuit. *Lib. 1, German. Chron. pag. 7. num. 40.*

Dubii sensus in Viterbiensi aliisq; dilucidatio.

40. HELMOLDI verbis, quem suprà differentem habuimus; Poloniam sc. quondam habuisse Regem, nunc autem à Ducibus gubernari, servire & ipsam sicut Bohemiam sub tributo Imperatoriæ Majestatis; facilè responderi potest. Locutus enim est rumore vago deceptus, de ejus veritate inquirendâ non sollicitus. Nec de rebus seculi octavi & noni, sed seculi undecimi ipsi sermonem fuisse, ex Historiâ *Boleslai Audacis*, sub quo Regia dignitas desiit, Ducali titulo ei substituto, constabit inferiùs.

§. X.

Ad Recentiorum decretoriam quasi sententiam examinandam, transitum imperat series materiæ §. VIII. deducta. Curæus certè Eginhardi aliorumque illius seculi Scriptorum autoritati opinionem suam, Polonos nimirùm à Carolo Tributarios factos referens, affinxisse, meritò dicendus: cum de Polonis altum in ipso aliisque silentium sit. Fefellit Virum ampla vocis Slavorum significatio. Nec enim alios Slavos, quàm qui in hodiernâ Germaniâ tunc temporis habitabant, intelligendos esse, testimoniis annalium sufficienter evictum. Firmiori verò nituntur talo sequentia Curæi; *Idem Carolus*, inquit, *ad arcendos Polonos à Germaniâ munivit Brandeburgum, A. 789. collocatis eo Colonis ex Alsatia, quos tamen Poloni non multò post, mortuo Carolo, ejecêrunt.* Sanè non Carolum Polonis, sed hos Carolo terrori fuisse constat, vel ob hanc causam, quod ab eorum incursionibus in Germaniam sibi metuenti

Curæus refutatur.

M castel-

castellis securitati suæ prospiciendum fuerit. Sed ne vim inferre videar verbis Eginhardi, qui *Carolum omnes Nationes inter Rhenum & Vistulam perdomuisse, scribit*; Cluverus jam huic dubio satisfecit, dum Germaniam usq; ad Vistulæ oram extensam fuisse probat, in *German. Antiqv. L.3. c.42.* Id quod tamê non de omni regione, ab ortu fluminis ad exitum ejus, protensâ intellectum velim: quadrat enim tunc Hartknochii conjectura; eos nempe populos, qui sunt inter Rhenum & ea loca, in quibus Vistula oritur, â Carolo subactos. *L.1. c. 3. §.1. p.115.* Eosdem Sarmatiæ terminos ponit Plinius L.IV. c.XIII. verbis *Sarmatia Europæa terminatur, ab occidente, Vistulâ flumine & lineâ inter fontem ejus & Sarmaticos montes.* Et Adamus Bremēsis Poloniâ trans Oderam locat, *L.2. c.10. l.63.* Conf. *Cluver. d.l.* Non video jam, cur Curæi mentē tam benignē interpretur Hartknoch. *all. p.115. Carolum nempe Silesios domuisse*: coll. *cum p. 40. cum eo tempore Silesia se usque ad Vistulam extenderet.* Nulla enim apud Curæum hâc in causâ Silesiorum fit mentio. *p.28.* Senonum meminit non ut devictorum, sed ut bella cum Caroli Successoribus gerentium. An verò hi Senones omnes iidem sint, qui Silesii, meritò dubitare licet cum Cluvero *L.3. c.31. p.110.* Clariora E. de Silesiis Historicorum documenta in Historiâ *Ludovici Pii* primùm expectanda erunt. Tendunt eò quoque Conringii conjecturæ *L. de Finibus Imperii Romani L.1. c.2. p.7.* ita scribentis *verb.* Ex quo Eginhardi loco discere est, Slavicas aut Venedicas illas

Conringii judicium de Finibus Imperii Romani sententiæ nostræ favet.

Gentes

Gentes (Polonis tamē fortè, adeoq; & Silesiis, Polonorū tum parte, exceptis, nec enim de his perinde constat) quæ omnia à Salâ usque amne (ut *qui*, eodem teste Eginhartô, *Thyringos & Sarabos* Sclavos *tum divisit*,) ad Albim & inde trans Albim circa maris Balthici littora usque ad Vistulam, Bojohemiam item, ac Moraviam ad Danubium usque, tum temporis jam dudum, (ex quo inde Germanicæ gentes, irruptione in provincias Romani Imperii factâ, discessêre,) impleverant; quadantenus in ditionem Francorum pervenisse. Item *c.4. p.21.* Inde verò indubiē mare Balthicum terminavit Francorum Imperium, idq; fortē usq; ad Vistulam. Fortè, inquam: nec enim certò dixeris fluvium illum, ut Prussos ita Polonos etiam à Germanici regni finibus divisisse, cum nihil hūjus liquidò memorent Annales, & post Carolum Magnum, concidente Reipublicæ vi, fortē iis in locis auctoritas Francorum nonnihil mutaverit. Verisimile interim est, ad Prussos usque etiam tum extensam ibi reverentiam, adeoque saltem hactenus mansisse Vistulam Regni limitem, utpote quæ jam tum Pomeraniam ac Prussiam divisit. Polonia verò cum seriùs Germaniæ colla subdiderit, ipsa verò cis Vistulâ sese porrexerit ad Oderam, imò Bojohemum usque, ab oriente, illâ quidem parte, Vistula non potuit esse pro termino: Ut meritò fortè dixeris, ibi quidem iisdem illis Germaniæ Regnum finibus fuisse tum clausum, quibus etiamnum hodiè à Poloniâ distingvitur: nisi quod Silesia itidem extra fines collocanda

M 2 veniat,

veniat, utpote quæ multis demum post seculis à Poloniâ avulsa sit. *Hucusq. Conringius.* Cœterùm non sine ratione Eginhardo ipsi fidem detrahit Hartknoch, *dum, in laudes eum Carolinas effusum nimiùm sibi indulsisse, judicat.* Rara enim apud Scriptores Principibus coævos, posteritatis cura haberi solet. Multi libidine assentandi ducti, aut, odio adversus hostes, veritatē pluribus modis infractam relinqvunt: ut ita Taciti verbis paulò aliter inflexis uti liceat. *L. 1. Hist. c. 1.* Taceo illud affinitatis cum Carolo contractæ vinculum, illum à Carolo beneficiorum ipsi collatorum cumulum. Vel hoc solo suspicionem justam incurrit Velleji Paterculi judicio, quod *Pene stulta sit inhærentium oculis ingenuarum enumeratio* — — — — *Vivorum enim ut magna admiratio, ita difficilis censura. L. 2. Histor. Rom. c. 36.* Ex Legatione vero Polonorum ad Carolum M. & ex muneribus oblatis, de quibus supra Sabellicus, Scriptor non adeo antiqvus, nihil contra Nos concludi potest, cum illud & hodie â multis sœpiùs fiat, sine ullo subjectionis argumento, ut iterum rectè innuit Hartknoch. *p. 48.* Quam quidem materiem paulò fusiùs deducendam sumerem, nisi dignitas ejus, alii casui verioribus documentis innixo, curam tunc impendendam injungeret.

Eginhardi cur dubia fides?

Cur Sabellici? interim nihil tamen inde præjudicii.

§. XI.

Ab Exterorum insultibus secura jam reddita Patriæ Libertas, â Patriis quibusdam Scriptoribus injectos sibi compedes experitur, facili tamē conatu

natu rumpendos. Cromeri certè, relatio haud leve Nationi nostræ infert præjudicium, quamcunq; tandē operam tollendis impedimentis conferat. *ita enim disserit.* Dlugossus Martinum Gallum memoriæ prodidisse refert, Lechum, seu Lechonē, ut scribit ille, principē, in prælio cum Carolo, Caroli Magni Imperatoris Rom. filio notho, quem pater contra Polonos & Boemos, Saxoniam bello vexantes cum exercitu miserat, occubuisse: idque actum esse anno quarto vel quinto post octingentesimum à Christo Servatore nostro nato, translato jam ad Francos & Germanos occidentis imperio. Quanquàm Blondus Forolivienfis, & Sabellicus, Leonem Boemorum Ducem ab hoc Carolo interfectum esse scribunt. Sed nullum per ea tempora Leonem apud Boemos regnasse comperio: ne Lechonem quidem. Apud Polonos Lescus regnavit: quem Gallus, & H. Mutius Lechonem, cæteri Leonem vocant. Facilis est autem Lechonis in Leonem commutatio. Tametsi nihil vetat credere, Polonis pariter & Boemis eum præfuisse. *L. 2. p. 33. 34.* addit tamen: *Tam Duglossus autem cum suo Gallico quam Blondus & Sabellicus Carolum eo bello Poloniæ fines depopulatum, represſis modo hostibus, citò ad Patrem rediisse.* Cromeri relationi insistunt Herburtus. *L. 1. c. 8.* Neugeb. *p. 45.* Gvagvinus verò Lesci III. Rebus gestis, negotium præsens, immiscet. Verùm nullâ necessitate impelluntur, ut tantùm indulgeant adversæ Parti; in tam perspicua

Cromeri Herburti, Gvagvini relationes nobis adversæ refelluntur.

Mart. Gallus de Caroli magni bello cum Polonis.

804. ann. Imperium ad Francos trās-latum.

Blond. Dec. 2. lib. 1. Sabell.

H. Mutius de Germ. lib. 9.

ſpicuâ veritatis luce. Ex Eginhardo enim, aliisq; antiquiſſimis Scriptoribus de Polonorũ ſeu ſponte venientium ſeu in auxilium â Boemis vel Hungaris vocatorũ, cum Carolo M. præliis geſtis eorũque eventu felici aut infelici nihil elicies. Quicquid enim de Slavorum bellis, factâque cum Carolo M. pace memorant antiqua monumenta; id *Soraborum, Wilzorum* & *Obotritarum* nationes præprimis concernit. Conveniunt Rerum geſtarum ſimilitudo, ætatis exacta ſeries, & ipſe nominum conſimilis ſonus. *Obotritæ* enim tum autoritate Reguli ſui, tum metu armorum Caroli, Ejus poteſtati ſe ſubjecêre, manente inæqualis confœderationis ſpecie, ut id ex *Eginhardo, Annal. Franc. Annal. Fuld. Reginone, Alberto Stadenſi Krantio, Lamberto Schanaburg.* deduxit Bangert. in *Comm. Helmold. L. 1. c. 12. p. 35.* Hi (*Obotritæ*) A. 795. â Carolo contra Saxones qui verſus ſeptentrionem habitabant, ad ferenda auxilia evocabantur, & cum *Witzan* Regulus (Withan *Sigeberto Gemblacenſi* anno 796. dictus) jam in eo eſſet, ut Albim trajiceret, â Saxonibus, qui re compertâ ab utrâque fluminis ripâ, inſidias locarant, in ipſo amnis alveo interemptus eſt. Hic *Witzan* â *Poeta anonymo*, qui Arnolpho Cæſari æqualis fuit, & â *Sigeberto*, Obotritorum Rex nominatur. Ex quo ſtatuere licet, ipſum ſummo loco apud eos fuiſſe. *Latomus in MS. Chronico Mechlenb. Wiſislaum* eum vocat, & filium *Thraſiconem* ei ſucceſſiſſe ſcribit. Vide *Auctores jam adductos.* Poſt Witzanem Annales *Thraſiconem* vel Thraſconem, Obo-

Quicquid præjudicii in Polonos torquetur, ad Obotritas applicandum Probatur id verò.

(1) *A rerũ geſtarum ſimilitudine.*

Obotritorum Ducem, commemorant. Hucusque iterũ Bangertus, *p. 36.* cui fidẽ dare jubet ingenua ex ipſis autographis tradita relatio. Accedit nominũ ille facillimus flexus & ætatis ejusdẽ habita ratio & 4. convenientia ætatis. Is enim *LESCO* II. qui Carolo M. paruiſſe dicitur, *Thaſco* forte fuiſſe Dux Exercitus Obotritarum, ſucceſſor Regis *Wiſislai* credendus eſt. Quàm facilis inverſæ literarũ T. in L. & A. in E., & viceverſa, mutatio Slavis non inſolita, ut voces *Lachi* & *Lechi* id innuunt. Reſtat litera H. quæ Grammaticæ regulis pro non adjectâ haberi ſolet: & certè mediis ſeculis, in nominibus propriis ejus abuſum conſpicere licet in voce LUDEVICI, quem Adam Bremenſis LOTTHEWICUM appellat. *L. 1. c. 14.* Is ipſe *Thraſico, Thaſco*, dictus Fabricio *de Originib. Saxon. L. 4. p. 439.* Alberto Stadenſi *Traſico* ſeu *Traſco* appellatus ad *A. 818.* Nomine vero *Wizislai* decepti fors Scriptores Poloni eundem eſſe crediderunt, qui *Przemislaus* ſeu LESKO I. Utrique enim voci par origo â *Slava*, gloriâ. Interfectus etiam hic *Wizislaus* in bello Carolino eſt, non tamen ut hoſtis, ſed ut ſocius & amicus, contra Saxones vel Wilzos Slavos; quod ipſum fefellit procul dubio eosdem Autores, ut Leſconem Slaviæ Polonicæ Ducem in bello contra Carolum geſto interfectum ſcripſerint. Nativitatis quoque par ratio: Thaſconem enim filium Wizilai quidam tradunt, æque ac Leſco Primislai filius fuiſſe creditur. Docebunt inſuper ſequentium annalium monumenta; quanta inter Polonorum

(2) *â ſimilitudine nominum Imperantium. & temporis convenientia.*

(3) *à conveniẽtia genealogiæ Ducum Obotritarum.*

lonorum Ducum & Obotritarum Regum nomina intercesserit similitudo: Quæ causa continuatæ in historiâ Rerum gestarum confusionis. Sed cur Bohemis hic patrocinamur? cum omnium Annalium Exterorum Testimoniis constet Lesconem seu Lechonem Bohemorum Ducem non Polonorum Principē â Carolo subactū fuisse. Quam relationem suo sensu abundare patior, eamque nec oppugnandam neque defendendam mihi sumo; Liberatam ab omni subjectionis & tributi præstiti suspicione exhibuisse hic suffecit solam Poloniam. Cœterùm si cui Sarnicii judicium probatur, utpote in refellendo temporis malè locati argumento occupatum, sequentibus retulisse proderit. *Annal. L. V. p. 194. & 206.* verbis seqv: His igitur ejus virtutibus planè Regiis, Bohemi etiam inuitati, honores ei regios, modò non dedignetur, decernunt, precibus etiam additis. Quibus de rebus ubi ad Carolum Magnum perlatum est, audiens tantam hujus regis virtutem, tantaque Bohemorum erga eum studia, veritusque ejus potentiam, bellum ei ad Saxoniæ fines confestim indicit, contraque eum Carolum filium cum exercitu prævalido mittit. Sed Carolus cum reperiret, hostes & Ducem exercitatum, & exercitum instructissimum habere, non ausus est prælio decernere, reque infectâ pervastatis modò finibus, inglorius domum rediit. Referunt quidam, Lescum hunc in eâ expeditione occubuisse. Sed isti nullius autoris idonei testimonio id probant, nisi Abbatis. At Lechonem ille

(4) *à contradictione, dum Lechonem non Polonam sed Bohemorum Ducem occisum referunt.*

Sarnicii conciliatio.

Expeditio Caroli Magni contra Polonos.

ille vocat, qui jam dudum mortuus fuerat. Refert tamen Sabellicus Slavorum, Polonorum, & Bohemorum legatos Imperatori cum muneribus Aquisgranum tum occurisse. Nam majores nostri haud dubiè eâ prudentiâ & modestiâ præditi erant, ut licet fines suos constantissimè propugnarent, tamen Imperium Romanum Dei opus esse agnoscerent. Nec judicabant felices illos futuros, qui temerè manus novandis rebus injicere vellent. *Et pag. 206.* Lescus Secundus cum exercitu Caroli Magni dimicat, & in pugnâ illâ occumbit, ut quidam affirmant: sed id nullius idonei autoris testimonio comprobant, nisi Abbatis, qui tamen non Lescum sed Lechum hunc Slavum nominat. Notum est autem ex historiâ, quæ præcessit, Lechum ducentis annis ante morte naturali ex hâc vitâ decessisse.

Polonorum propensa voluntas erga Romanos Imperatores.

§. XII.

Eâdem ferè ætate, *Obotritis Slavis* cum Rege *Daniæ Godefrido* cruenta fuêre prælia. Is enim â Wilzis perpetuis Obotritarum hostibus excitatus cum numeroso exercitu terras istorum intrat. Thasiconem suorum fide non satis securum pellit; ipsumque Ducem Gotlibum in crucem agit, redditâ potiori parte provinciæ stipendiariâ. Ast Thrasco Imperatoris auxilio pristino valori restitutus Gotefridum, præcipuis Danorum, & Reinholdo Fratris filio amissis, repressit. Justâ dein ultione in Wilzos, autores Belli, impulsus, assumtis Saxonum auxiliis bellum in eos movet, & terram eorum ferro & igni vastat; ut id

Slavi Obotriti non Poloni Danis Tributarii facti.

id fusiùs tradunt Adamus Bremensis. *L. 1. c. 13.* Abbas Stadensis ad *A. DCCCX.* Fabric. *de Orig. Sax. L. 4. p. 439.* Pontanus *L. 4. in Godofred. ad A. 808.* Eadem E. & hîc concludendi ratio; quâ evincere licet: Obotritas Slavos, non verò Polonos â Danis victos, aut Tributarios redditos.

§. XIII.

An Lescus III. cum Carolo M. bello gesserit.

Post fata Lesci II., Regni fasces Lesco III. deferuntur. Non parum hic autoritatis Romano Imperio decederet, si Kadlubkoni fides haberetur. *p. 79.* Sed fabulis hîc nullus locus; ne vera illis intermixta fidei jacturam faciant. An cum Carolo M. negotium ipsi fuerit, non constat. Ejus quidem ætate, Imperatori bellum cum Slavis fuisse, fatentur annalium Polonicorum compilatores: Si *Duglosso* credimus; is, Lescum adjutum suos gentiles Slavos, â Carolo bello lacessitos, advenisse, collatisque signis prosperè dimicâsse, memorat. Assentitur ei Sarnicius. *L. 5. p 196.* Præstat verò & hanc rem, utpote testimoniis annalium veterum destitutam, silentio præterire.

An cum Nicephoro Orientalis Imperatore?

Nec fidem adstruimus continuatæ Sarnicii relationi, qui Polonos â Bulgaris contra Nicephorum Orientis Imperatorem in subsidium vocatos, Exercitum ejus fudisse, refert. Hæc enim solidè jam explosa vide in Cromero: *p. 35.* Tetigisse tamen ista proderit eo fine; ut, qui bella Polonis cum Orientali vel Occidentali Imperio fuisse, scribunt, admittant quoq; *nec ab Orientali nec Occidentali Imperio Eosdem tunc subactos fuisse.*

§. XIV.

Ætate Ludovici Pii Imperatoris, & Lesci III. Polonia non fuit tributaria.

Faciliore jam cursu, sparsos illos in Annalibus succedentibus scopulos ac Syrtes evitare licebit, postquàm solidè jam evictum; Slavorum cum Romano Imperio negotia non ad historiam Gentis Poloniæ, sed Boemorum, Soraborum, Wilzorum, Obotritarum trahenda esse. Ostendent id insuper, monumenta ex continuatis annalibus deprompta.

(1) Probatur id à finibus Imperii Rom.

Ejusdem *Lesci III.* Ætate, *Ludovicus Pius* Caroli M. successor imperâsse constanter creditur. Hunc in potentiam Caroli M. successisse quidem, non exiguam tamen Regni sui jacturâ fecisse, observavit probè Celeb. Conringius *L. 1. c. 3. de finibus. Imp.* fateturq; ipse Curæus, mortuo Carolo, Polonos ipsa præsidia Brandeburgo ejecisse, & filios Lesci sedes Longobardorum, Senonum & vicinorum inter se partitos fuisse & excitatis multis munitionibus se adversus Germanos defendisse. *p. 28.*

(2) Nec successionis jure, cum Carolus ipse nihil juris in Poloniam habuerit.

Si nullum jam in Poloniam jus armis â Carolo M. quæsitû, nulla quoq; Ludovico in eandẽ successionis relicta jura. Fines Imperii ejusdem â Conringio *c. 4. pag. 21.* circumscripti, innuunt, Ludovico nunquam in Poloniam fuisse expeditionem, præter quod Silesiam Occidentalem & trans Oderanam tributariam sibi reddidisse, referat ex Adami Bremensis *Chronico* Hartknoch. *Lib. 1. c. 3. §. 1. pag. 116.*

(3) Non Polonia, sed pars quædam Silesiæ tributaria facta & reliqui Slavorum populi res subjecti.

Ipse, inquit, *Boemannos, Sorabos, Susos* (iidem qui Silesii) *& cæteros Slavorum populos ita perdomuit ut Tributarios ipsos faceret. L. 1. Eccles. Histor. c. 34. L. 1. c. 3. §. 1. pag. 116.* Verùm

res gestæ non in Ludovici I., Pii dicti, tempus incidunt, sed Ludovici II. historiæ partem faciunt. DeLudovico I enim, ejusq; obitu â Bremensi â *c. 14. ad c. XXII. Lib. 1.* series historiæ texitur. A *capite* vero *XXII.* Ludovici II historia initiũ sumit, factâ inter filios Ludovici Regnorũ divisione. Imposuit verò, ut opinor, Hartknochio Ludovici II. *Pii* quoq; appellati cognomen *c. 34.* quod tamẽ non publicâ autoritate, sed privato Bremensis affectu ipsi inditum. Hanc successionis quoque observatam seriem Helmoldus exhibet. *L. 1. Chron. Slav. c. 6. & 7.* Gobelinus Persona, Ludovicum victoriam contra Orientales Slavos obtinuisse scribit. *Cosmodromii. Ætat. 42. p: 243.* Iisdem ferè verbis victoriam exprimit Marianus Scotus, addens *Luduit*, Ducem Slavorum, quoque pulsum. *L. 3. Ætate VI. ad. 822.* Mitiùs ergo jam Curæus Ludovici historiam finit sequentibus. *Cum illis tamen Populis, Henetis, Polonis & Bohemis assidua bella gessisse scribitur Ludovicus Caroli filius circa A. Domin. 830. A. 823. Francofurti iste Ludovicus Principes Henetos ad se accersitos pacavit. ibid.* Hi tamen Heneti Wilzi erant, ut id disertis verbis habet Abbas Stadensis. *Anno Domini DCCC. XXIII. Imperator habuit conventum Franconfurthi, quod nunc urbaniùs dicitur Frankenevorde, & venerunt duo fratres ad Imperatorem de regno Wilzorum, Milegast & Celeadrogus, filii Lubith, Regis Wilzorũ qui Milegastum filium suum Regem constituerat. Sed cum non dignè regnũ administraret, Wilzi, illo abjecto, Celeadrogo juniori honorem regium detulerunt. Unde*

(4) *Error in relatione Rerum gestarum Ludovici II. cum tamen Ludovico I. eadẽ tribuendæ.*

(5) *Slavorum ab eo devictorum nomine, Wilzi intelligendi, item Bohemi, Obotritæ &c.*

Unde ambo ad Imperatorem venerunt. Imperator autem, ad favorem gentis, juniori regnum dedit & ambos remisit muneribus honoratos. Chron. ad *A. 823. p. 88.* Et Mutius *L. 2.* Chron. Germ. *p. 77. scribit.* verb. *A Nativitate Christi tempore Ludovici Pii, anno 823. in comitiis Francofordiæ celebratis, venerunt ad Ludovicum duo Fratres, quorum uterque ad se pertinere jure contendebat regnum Wilzorum: quare litis judicem & arbitrum communi consensu elegerunt Imperatorem, ut quicquid ille judicaret, uterque haberet ratum. Venerunt autem & alii legati de regno Wilzorum, ex quibus, cum Ludovicus intellexisset juniorem natu gentem optare, meliorisque indolis ipse vidisset eum esse, statuit, ut junior regnum gubernaret; sed fratrem eo loco haberet, quod deceret. Cumque videret periculum, ne discordia fratrum evaderet in tragicum quempiam finem, non dimisit eos, donec vidit placatum majorem, quem suspendit magnis promissis, liberalissimèque ambos donavit muneribus Imperatore dignis & jurejurando sacramentoque, concordiâ inter eos factâ, cum pace dimisit. Venerunt & alii magni Principes, qui sententiam & consilium petierunt hujus Imperatoris, Missa sunt & illi magna à magnis Regibus munera & à civitatibus magnis.* Obotritarum quoq; lites composuisse Imperatorem istum, ex annalibus fusiùs deducit Bangertus *p. 37.* Id quod in tempus Popieli Junioris, filii senioris, incidisse vult Cromerus *p. 18.* Quæ E. hactenus in medium prolata, tam aperta ac clara sunt, ut nullâ hic additâ probatione, æqvum pro Poloniæ libertate sperem

Conclusio

rem judicium. Nec â parte quadam Silesiæ occupatâ, causæ Totius Regni præjudicium metuendum: Fallax enim est, à Limitibus occupatis, totius Regni subacti documentum.

§. XV.

Cum Ludovico II. nulla fuêre bella Piasto Poloniæ Duci.

Ludovici II. & *Piasti* coæva fuêre Imperia. Ludovico cum Polonis nulla intercesŝère bella; In Silesiam factæ Expeditionis monumenta quidem supersunt, ut supra §. præcedenti expositum; verùm non tam regionis occupandæ, quàm religionis propagandæ causam tunc latuisse, Annales ostendunt. Sed nova iterum *Mutius* injicit vincula, ipso Cromero interprete, non infirma. Scribit enim Patronus ille Germanorum Jurium tenacissimus: *Ludovicum*, inquit, *conditionibus omnibus, quæ sibi placuerunt, præscriptis, Sclavisque jurare coactis, inermes dimisit: Principem tamen eorum luminibus privasse legitur, ut inutilis ad seditiones & tumultus excitandos redderetur homo ferox & impius animo. L. II. Chron. Germ. p. 82. n. 57. & p. 83. n. 1. 2.* Jungendus illi Curæus. *p. 27.* Addit Cromerus: *Hunc aliquem è Popieli posteris fuisse oportet. Mutius quidem nomen ejus non edidit. Paulus vero Constantinus Phrygio* Rasliz *eum vocat.* Quiscunq; is fuerit, Poloniæ tamen Principem non fuisse Gotofridus Viterbiensis innuit, qui eundem *Rastil* appellat, Ducem Slavorum; *Chron. P. 17. p. 465. n. 33.* cum tamen ei Poloniæ nomen in cognitum non fuerit. *p. 458. n. 9* Clariùs vero Dubravius;

Rastil Slavorum Dux à Ludovico devictus, non Polonorum sed Moravorum Rex fuit.

us; qui hunc *Rastil, Raslaum* dictum, Regem Moravorum fuisse tradit, eumque, ob violata fœdera, â Ludovico Imperatore excœcatum *L. 4. p. 27.* ad quem locum notat Thomas Jordanus: *p. 35. lit. C.* Ludovicum hunc non fuisse illum cognomento Pium, sed ejus filium, qui cum Marcomannis plurima dicitur gessisse bella (hic etiam Germanicus dictus, Pater Carolomanni & Caroli Crassi) & Raslaum oculis privasse: Et perperâ nonnulli hîc tribuunt Ludovico Balbo, Ludovici Pii filio, cum Balbus Caroli Calvi fuerit filius. Post Ludovici II. obitum Albertus Stadensis A. 876. id contigisse refert. Boemi vero Sorabi, Susi & Slavi, quos ipse subjecerat, tunc servitutis jugum excussere, teste Helmoldo *L. 1. c. 7. n. 3.*

Reliqui Slavi, non Poloni sed Boemi, Sorabi, Susi fuere.

§. XVI.

Piasti felix regimen.

Iisdem temporibus *Piasti* in Poloniâ imperium summâ laude gestum, documentum præbet evidens, Polonorum Ducem tunc à Ludovico devictum non fuisse: cum non tantùm annales Poloniæ, verum etiam Germaniæ, imprimis Silesiæ, Piasto feliciter regnante, alium Regē Slavum â Ludovico excœcatum referant, ut id observat Curæus *d. p. 28.* cui addatur Munsterus veritatem regiminis Piastei adstruens. *L. IV. Cosmograph. p. 892.* Interim pacis studio maximè inclaruit Princeps optimus, non extensis, nec recuperatis quos Popielus amiserat, finibus; nec tamen amissâ etiam ullâ regionis, quam tenebat, parte. Non parùm verò Principatus tranquillitati profuere

Imperii Romani vires imminutæ, quibus ex causis.

fuere Imperii Romani, in partes distracti, conditio, Imperantium in diversa euntium studia, non nullorum etiam simplicitas ac socordia; donec sub Arnolulfi Imperatoris auspiciis pristinæ autoritati restitueretur.

§. XVII.

Æneæ Sylvii & Crancii injuriosæ iterum in Polonorum libertatem relationes.

Hic iterum animum in Polonos iniquiorem produnt Æneas Sylvius & Crancius. Ille enim, non sine injuriâ gentis nostræ tradit. seqv. *Svatocopius eo tempore Moravis imperabat, Christianæ religionis cultor, & dignus, cujus memoriam ad posteros referamus. Moravia trans Danubium jacet, cui ad Orientem Hungari Polonique regnum possident, Morava disjuncti amne, qui nomen regioni dedit; Occidentem Solem Bohemi excipiunt, Austriales Meredianum: Septentrionale latus Silesii occupant. Ager vini frumentique ferax, gens rapinis assveta: Nulli tutum iter, nisi armato, potentiorique præbet. Hic multos annos regnatum. Hungari, Bohemi, Russani, Poloniq́, Moravorum principi paruerunt, princeps ipse Romano imperio; Caput regni civitas Volegradensis. Svatocopius Regum penultimus, qvum aliquandiu feliciter regnasset, tandem Arnulpho Imperatori tributum pendere recusans, commisso prælio, qvum suos cadere animadvertisset, clàm sese pugnæ subtraxit: atq́, ut erat mutatâ veste incognitus, salutem solus fugâ quæsivit. Histor. Bojem. c. 13. p. 14.* Crancii relatio eundem in Polonos odii affectum ostendit: dum Svantocopius, *inquit*, eâ tempestate Moravorum Rex, ditione tenebat Bohemiam, Silesiam, Poloniamque

niamque & animis sublatis, de magnitudine ditionis, Imperatori Romano Arnulpho fortissimo principi tributa solvere (quæ aliquandiu solvisset Ludovico Germaniæ Regi) pernegabat. Magno bello petitur: magnis ille nihilominus viribus reluctatur. Variâ fortunâ sæpe sunt in acie collatæ manus: nullâ parte constitit victoria, æquis viribus dicessum erat. *L. 2. c. 26.* Polonorum Annales diversum referunt, firmiori fundamento muniti; Exterorum placitis in idem inclinantibus: Nempe Zimovitum, qui Piasto successit, circa ætatem Arnolfi Imperatoris, plurima recuperâsse, ipsiusq; Moraviæ partem sibi subjecisse, pulso nempe ab Arnulpho Svatopluco Rege Moraviæ: Referunt id Cromer. *p. 41.* Sarnicius *L. V. p. 203.* aliique. Et ne libidine assendandi scripsisse videantur, en Dubravium Scriptorẻ Bohemum Polonorû causæ favere non solitum. *L. IV. p. 27. 28. & 29. Incesserat post longam, & mutuam benevolentiam, quæ inter Svatoplucum Regem & Arnolphum Cæsarem, usque ad arma simultas, contentioque, accusante fidem Regis Cæsare, quasi magis ad Constantinopolitanum, quàm ad Romanorum respiceret Imperatorem, Rege contra se defendente atque dicente, convenire officio suo, ut majestatem Græci quoque Cæsaris debito honore conservet, à quo Majores olim sui regni decus, ipse deinde fidem Christianam acceperit, habeatque in hunc diem bonam regni sui partem ad Daciam pertinentem, cum finibus Imperii illius tanquàm vicini conjunctam. Sed hæc contentio,*

Non enim in Polonia Svantopulcum sed Zimovitus Piasto successit.

Moravia E. non Polonia ab Arnulpho Imperatore Tributaria facta.

Probatur id testimoniis Exterorum & fere hostium.

tio, extincto Svatopluco simul extincta est, citra pulverem & Sangvinem. Atqui major deinde, filio Svatopluco regnante, simultas recruduit, posteaquam ille capto ad insidiandum tempore, quo Arnolphus Normannis Subdomitis implicitus erat, Noricum magna vi externorum quoque equitum populabundus ingressus est, magnâque cum prædâ & Spoliis, magno Cæsaris dedecore domum ultus rediit. Nec longè aberat detractæ religionis suæ vindex Deus, sicut nec Cæsar contemptæ suæ dignitatis, sed uterque per tempus suum, à contemptore eam pœnam exegit, qua subdomantur superbi & impii. Nam Cæsar regnum illius per edictum publicavit, deditque illud diripiendum vicinis gentibus, Ungaris, Polonis, Austriacis. Reliqua pars, quæ nunc extat, ultro se fidei potestatique Bojemorum permisit. Quemadmodum enim Regia in Moravia potestas, in Svatobogio, ita imperii majestas, quam tunc Galli sibi usurpabant, in Arnolpho defecit, qui etsi filium Ludovicum haberet, (quem ad spem imperii enutriverat) sed & is quoque dum patri succedere conatur, Veronæ captus, & à Berengario, ad quem Itali summam imperii detulerant, interfectus est. Ipse præterea Arnolphus pater, fœdo mortis genere, quo olim Sylla dictator, nempe pediculari, obiit. Abbas Stadensis, Moravenorum Regis ab Arnulpho devicti, tantùm meminit: ad *A. DCCC. LXXXVIII.* Idem ex Liuthprandi. *L. 1. Hist. c. 5.* & Reginonis *L. 2. p. 66. n. 10.* tantùm colligere liceat. Quo fundamento itaque Sylvii & Crancii nitantur relata; penes Lectorem æqvum esto judicium. Cœterum Obotritas Arnolpho

nolpho turbas dedisse, eos tamen repressos, memorant *Annales Fuldenses.*

§. XVIII.

Sub Ludovico III. & Conrado brevioris ætatis Principibus, nihil in causâ nostrâ memoratu dignum accidit. Nec Lesci IV. Annales prosequendi argumentû ansam præbent condignam. Majora instant sequenti sectione, approbanda, conciliandà, refellenda, damnanda, non tamen adulatione, aut irâ, sed veritate & æquitate, rei controversæ arbitris futuris non temerè rejiciendis.

Sub Ludovico III. & Conrado Imperatoribus; ut & Lesco IV. Polono nihil memorab. accidit.

SECTIO V.
DE
POLONIA NUNQUAM TRIBUTARIA
Serie Imperantium ducta.
A

Mieczeslao I. Christiano ad Casimirum I. ultimum illâ ætate Regii Tituli possessorem; continuato simul ordine Imperatorum Romano-Germanicorum, ab Henrico I. Aucupe ad Henricum III. annexa quoq; temporis ratione ab A. 919. ad A. 1057.

§. I.

Zemoviti tempore nihil actum.

PAuca quidem de rebus gestis *Zemoviti II.* Poloniæ Ducis tradunt Annales Polonici; Nullâ enim re aliâ clarior, quàm filio *Mieczeslao I.* dicto, non tam suâ quàm Posterorum virtute memoriam sui Posteritati reliquit.

An Mieczeslai I. & Henrici I. Imperatoris. Resp. neg. (1) a silentio.

Ast, cum in compilandâ Ducum Poloniæ Historiâ studium mihi præsens non sit; ad pertexendam Argumenti propositi telam sufficiet, Annorum, quibus Libertas Poloniæ tentata videtur, vindicata tamen simul, justam exhibuisse ratione. Incidunt verò hæc in tempora *Henrici I. Aucupis* fasces Imperii Romano-Germanici ab anno 919. ad annum 937. tenentis. Bella ab ipso cum vicinis Slavis gesta referunt Annales; Unde haud leve Liber-

Non Poloni ab Henrico devicti.

Libertati Gentis nostræ imminet præjudiciũ; externâ tamen magis verborum specie, quàm vero & causæ nostræ adverso intellectu. *Regino* seu potius ejusdem Continuator scribit, *Henricum istum stabiliendæ paci, & reprimendæ Slavorum sævitiæ fortiter institisse.* Ad annum DCCCCXX. in Chronico libr. 2. pag. 74. & ad annum DCCCCXXXIV. *Eundem Slavos, qui Uncrani vocantur, hostiliter invasisse & vicisse, sibique tributarios fecisse* pag. 75. *Abbas Stadensis Bohemiæ ab Henrico Tributariæ factæ* meminit *ad annum 920. folio 101.* & paulò post ad annum sequentem folio 102. *Henricus*, inquit, *Rex jam tum à Puero timens Deum. Et in ejus misericordiâ totam habens fiduciam suam, Ungros quidem multis & gravibus præliis triumphavit, itemque Bohemos & Sorabos à prioribus Regibus domitos, & cæteros Sclavorum Populos unà, grandi prælio ita percussit, ut residui, qui pauci remanserant & Regi tributum & Deo Christianitatem ultrò promitterent.* Conveniunt hîc & rerum & verborum similitudine *Adamus Bremensis Historiæ Eccles. lib. 1. cap. 48. Helmoldus Chron. Sclav. lib. 1. cap. 8. Lambertus vero Schaffnaburgensis Abotritos tantùm ab Henrico subactos* refert *ad annum 931. pag. 155. Ditmarus* in laudes Henrici effusior, regiones ab illo Tributarias factas has numerat; *Bohemiam, Delemintiam, item Obetritos, Vilczos, Hevellos*

Sed alii Slavi.

Uncrani.

Bohemi.

Sorabi.

Obotritæ.

Delemincii, Vilzi, Hevelli & Redarii.

& Redarios lib. 1. pag. 6. Idem sentiunt, *Witichindus Corbejensis Annalium lib. 1. pag. 639. Sigebertus Gemblacensis in Chronographia ad annum 921. A. 931. Abbas Urspergensis p. 213.* Et ex his recentiores fortè deprompta texunt Historiâ. *Mutius* nimirùm, *in Chron. Germaniæ lib. 9. p. 96. Crantius Vandaliæ lib. 2. cap. 27. Curejus Annalium Silesiæ pag. 29. & fusiùs* Fabricius *de originibus Saxoniæ lib. 2. ad annum 918. pag. 102. Ad annum 928. p. 114.* id insuper addens, nullâ tamen Gentis nostræ injuriâ *p. 115. verb.* Contra *Polonos Lusatium Marchionem Præfectum ad defendendos Germaniæ limites constitutum fuisse.* Annales Poloniæ hîc silent; & quæ ab Exteris metuebantur tela, non in Polonum, sed in alios Slavorum populos vibrata exhibuimus.

§. II.

Probatur id (2) ex confusione nominis Ducum variorũ Slavicorum.

Ad Mieczeslai I. Christiani Res gestas vocat Ducum Poloniæ Series. Nominis istius variatio vel ex errore scribarum, vel ex difficili Exterorum pronuntiatione orta, maximæ in Sclavorum Historiâ Confusionis fortè causa exstitit; accedente insuper Superstitione, quâ nomina *Mieczeslaorum* & *Boleslaorum* boni auspicii ac Ominis fuisse credebantur; Ut & Bohemi & Poloni & reliqui Sclavi frequentiùs illo uterentur, observante id *Crantzio lib. 2. Vandaliæ cap. 29.* De Nominum Ergo istorum variatione quædam hic præmittenda erunt, scopo nostro haud exiguam lucem

Varii enim erant Misicones & Boleslai variâ terminatione expressi.

cem collatura. Fuêre inter Slavorum Reges & Duces famâ rerum gestarum celebres *Misico Mistui* (hîc litera t. ex malè locatâ virgulâ literæ Polonicæ, ł quæ duritiê pronunciandi requirit forte inserta) *Mislao, Misica, Misizla, Misungus, Mieczeslaus*; quod ultimum nomen ob sui venustatem, Polonico foro donatum, idem est, quod *Laus Gladio parta*, surrogatum in Locum Vocis *Misico* â Polonico *Mieszać* miscere derivatæ. Eadem fata Boleslai nomen expertum est, ut jam *Bogislai*, jam *Bolislai* jam *Boizlai* jam *Biozlani* sono exprimeretur. Nec sine ratione conjicere licet, *Bilungi* appellationem ex eâdem radice ortam, ob consimilem *Misungi* â *Mislao* deductionem. In hoc nominum Labyrintho, filo Ariadnæo, accuratâ nimirum rerum gestarum & temporum conciliatione opus est: quam quidem, an ipsi σύγχρονοι semper observaverint, meritò dubitare licet; ut scripta eorum ingenuè mox tradenda, documento erunt. Sanè, ut difficilè præsentium Censuram esse, rectè judicavit Vellejus Paterculus, ita facilis eorum est & quasi præceps fides. Novis allicimur, & si grata fuerint, iisdem applaudimus & in erroris sequelam haud paucos trahimus. Sœpe res voti cum gestis commutantur, & plerumque in exteris præsentes cœcutimus, vel adulatione, vel odio vel ignorantiâ Scriptoris decepti. Totô die docemur, quàm exigua Novellis ita dictis & ex iisdem

Billungus & Misungus iidem, qui Boleslaus & Mieczeslaus.

(3.) ob defectum inquirendi in veritatem rerum exterarum præsentium & difficilem Patriorum negotiorũ censuram.

iisdem compilatis Ephemeridibus fides sit habenda. Posteris id privilegii datum, ut ponderatâ probè variorum monumentorum authoritate, nec metu odii, nec spe gratiæ rem ingenuè tradere, & ut meruêre rem debitam, omnibus rependere possint. Hæc Regum nostrorum initiis Reipublicæ fuit sors atque conditio. Altum de illis, ubi cum gloriâ res gestæ, silentium; iniqua judicia de actis nec laudem nec vituperium merentibus. Posteris debentur debiti Regibus Nostris decoris vindiciæ. *Ita nulla Virtus latet & latuisse non ipsius est damnum. Veniet qui conditam, & seculi sui malignitate compressam, dies publicet. Paucis natus est, qui Populum ætatis suæ cogitat. Multa annorum millia, multa populorum supervenient: ad illa respice, etiam si omnibus tecum viventibus silentium livor indixerit, venient, qui sine offensâ, sine gratiâ judicent. Si quod est pretium virtutis ex famâ, nec hoc interit: ad nos quidem nihil pertinebit posterorum sermo: tamen etiam non sentientes colet, ac frequentabit. Nulli non virtus & vivo, & mortuo, retulit gratiam: si modò illam bonâ secutus est fide, si se non exornavit & pinxit, sed idem fuit, sive ex denunciato videbatur, sive imperatus ac subitò. Nihil simulatio proficit, paucis imponit leviter extrinsecus inducta facies: Veritas in omnem partem sui semper eadem est. Quæ decipiunt nihil habent solidi. Tenue est mendacium: perlucet, si diligenter inspexeris.* Judicio Senecæ *Epist. 69. in fine.*

Senecæ judicio id confirmatur.

§. III.

§. III.

Superstitem adhuc sisto *Henricum Aucupem, Mieczeslao* ætate illius â *Czemovito* Patre in societatem regiminis forte accepto. Cùm hôc nulla Imperatori bella intercessisse constat; Ast *Mislaum quendam Obotritarum Regem* Anno 931. ab Henrico defecisse, Hamburgum evertisse & vicina loca vastâsse, ab Imperatore tandem repressum & eò adactum, ut cum gente suâ ac sociis non tributum modò se pensurum, sed & Sacrum Baptismi lavacrum suscepturum polliceretur; ex Annalibus Slavicis & Germanicis perspicuè deduxit *Bangertus in Comment. Helmoldi pag. 38.* Exinde fortè ob Nominis similitudinem, & Christianæ religionis receptæ conditionem suspicioni locus esset; Mieczeslaum sc. Polonum fuisse eundem, de quo hactenus tradita, cùm & Poloniæ Scriptores fateantur *Mieczeslaum Polonum Christianorum Mysteriis initiatum fuisse*; Quanquàm tempus longiùs extendant, & rem gestam in annum Christi 965. collocent, teste Cromero *lib. 3. p. 46.* Henrico Imperatore jam ante 30. circiter annos è vitâ erepto.

(4.) *Mislaum Obotritarũ quidam Dux ab Henrico I. devictus memoratur.*

(5.) *In illo res gestæ non veniunt cum Mieczeslao Polono; sed diversitas ex Chronologia ostenditur.*

§. IV.

Sed graviora instant, quæ â *Conringio* opponuntur, libertati Poloniæ maximè adversa, eòque magis metuenda, quod testimoniis scriptorum αὐτοπτῶν ferè munita proferantur. Quæ

Mieczeslai ætate, successêre in Imperio Ottones. I. II. III.

P de

Opponitur à Conringio Dithmarus scriptor coævus referens Polonos ab Ottone I. devictos.

de *Ottonum I. II. & III.* Atque *Henrici II. sancti* dicti, Bellis cum gente nostrâ gestis, eorumque successu & ductis de illâ Triumphis tradit, *Dithmari Episcopi Mersburgensis*, coævi authoritate nituntur. Indulget illi nimiùm *Hartknochius d. L. 1. c. 2. §. 10.* agnoscens tributariam fuisse Poloniam, additâ tamen molli interpretatione: pensionem, nimirùm, quam alter tributi nomine accipit & exigit, non continuò certum indicium esse subjectionis *p. 58.* *Curæus* in applausum sententiæ suæ dulcedine quâdam honoris inescatum pertrahere conatur Lectorem, dum Regno nostro societatem & subjectionem florente tunc Imperio, cui aliæ gentes nobilissimæ parebant, nihil esse ignominiosam judicat *Annal. Siles. p. 34.*

Admittit id Hartknoch cum molli interpretatione.

Curæus subjectionē Polonorū in gloriam vertit.

Excerpta è Dithmaro ingenuè traduntur.

Ad fontem verò ipsum jam accedamus, ex Ditmaro quicquid præjudicii elici possit, pro eâ fide, quæ Historicum decet, producturi. Initium ipsi à *Venceslao & Boleslao* Ducibus *Bohemiæ*, iisque fratribus; illum *Domino ac Regi* (hoc est Imperatori Ottoni Primo) *fidelem & à Boleslao fratre nefariè occisum, tradit. lib. 2. Chronici pag. 18.* Annales Bohemiæ addunt, Venceslaum tunc cum aliis Germaniæ Principibus Majestatem Cæsaream officiosè comiterque conservâsse & Ottonem decus Regium eidem contulisse atque â tributo eum absolvisse, tandem *Boleslaum Venceslai* fratricidam â Cæsare bellô petitum & armis eò adactum, ut pacem oraverit, eamq; certis

Bohemi ab Ottone I. devicti.

certis legibus impetraverit, Dubravii testimonio *lib. 4. p. 37. lib. 5. p. 40. & 41.* Pergit Dithmarus: *Gero Orientalium Marchio Lusizi & Selpuli Misiconem quoque cum sibi subjectis imperiali subdidit ditioni. Herimannus Dux Seliburem & Misluicum suis Imperatori Tributarios fecit lib. 2. pag. 25. Interea Udo Venerabilis Marchio Misiconem Imperatori fidelem, tributumq; usq; Varta fluvium solventem, exercitu petivit collecto. Ad cujus auxilium pater meus Comes Sigefridus tum juvenis, nec dumque conjugali sociatus amore, venit solùm cum suis, & in die Sancti Johannis Baptistæ adversus eum pugnantes, primoq; vincentes â fratre ejusdem Cideburo, exceptis tantùm comitibus præfatus, omnes optimi milites interfecti oppetierunt in loco, qui vocatur Cidini. Hâc de famâ miserabili Imperator turbatus de Italiâ Nuncios misit præcipientes Udoni atque Misiconi, si gratiam suimet habere voluissent, usque dum ipse veniens causam discuteret, in pace permanerent. lib. 2. pag. 35.* — Porrò; *Huc* (Quedlimburgum) *scilicet Misico & Boleslaus Duces confluebant Imperatoris edicto cum omnibus Regni totius Primariis, consummatisq; pacificè cunctis ditati muneribus magnis reversi sunt ad sua lætantes. p. 36.* Quis jam ille Misico fuerit, ut constet, materiæ nostræ præcipuum erit momentum. Ditmarus hactenus nihil certi determinat, nisi quod *lib. 4. p. 89. Misiconem* quendam *Poleniorum Ducem* Inclytum appellet *lib. 4. p. 89.*

Item Luzici, Selpuli, Misico quidam, Selibur & Mislui, Duces Slavorū.

Misico ad Vartam usq; tributarius factus.

Misico & Boleslaus, coram Imperatore causam suam agunt.

Quis ille Misico?

Ditmarus hactenus nihil certi exprimit.

An idem, qui postea Poloniorum Dux appellatur.
Obj. 1. a nominis similitudine.
Obj. 2. à rerum gestarũ convenientia.

Eundem *Misiconem* (vel ex conjecturâ ipsius, vel recentiorum Historicorum) *Boleslai Patrem, vivente egregio Hudone, domum, in quâ eum esse sciebat, crustinatum intrâsse, vel eo assurgente nunquam præsumpsisse sedere, & tributarium semper fuisse*, tradit. *lib. 5. pag. 109.* Convenire videtur, rerum gestarum similitudo; matrimonium scilicet Misiconis cum Dombravâ, Boleslai Bohemiæ Ducis Filiâ (vel etiam agnatâ) & succedens Misiconis, Dombravæ instinctu ac solertiâ, ad Christianam religionem conversio: ut ex eodem loco Dithmari *pag. 89.* constat.

Obj. 3. à Polonorũ Scriptorum confessione.

Polonicis æque ac Bohemicis Scriptoribus utrumque in Historiâ Mieczeslai Poloni observantibus. Ut videre est in *Cromero lib. 2. p. 46.* & *Dubravio lib. 5. p. 41.*

§. V.

Resp. (1) Incertum, quem Misiconem Dithmarus intellexerit.

Hæc sparsim â Dithmaro interjecta, non habitâ temporis & expressæ ab illo semper regionis ratione, adeò, ut *Misiconis* nomine jam Polonum, jam Bohemum, aut alium fortè Gentis Slavicæ Ducem intellexerit. Sanè si antiquiora evolvamus monumenta, luculenter constabit, *Misiconem istum non Polonorum sed Slavorum*, qui *Liucaviki* vocantur, fuisse Regem.

(2.) antiquiora monumenta referunt, Misiconem hunc non Polonorum sed Liucavicorum Ducẽ fuisse.

Witichindus Corbejensis enim, Scriptor ipso Dithmaro (*qui sub Ottone II. anno circiter 976. natus est, ipse nativitatis suæ testis lib. 3. p. 49.*) Antiquior & Ottonis I. Imperatoris scriptor Coævus (*ut id patet ex libris ejus ad Mechtildam Ottonis I. filiam, ostendentibus idem Trithemio ad annum 952. & Henrico Mæibomio* in Vitâ Witichindi) disertis verbis refert: *Misicam Regem, cujus potestatis erant Slavi, qui dicuntur Liucaviki duabus vicibus superatum, fratremque ejus interfectum & prædam magnam ab eô extortam; devictos* quoque â *Gerone* Præside Slavos, qui dicuntur *Lusici, & ad ultimam servitutem coactos, Seliborem* & *Misthavum* ab Herimanno *Duce subactos.* — Eundem *Misicam* paulo post scribit, *Amicum Imperatoris factum & instictu Vigmanni* â Slavis, qui dicuntur *VuLoini* bellô *lacessitum, sed Boleslai Regis Bohemorum Generi sui auxiliô adjutum, Vigmannum superâsse & Imperio Romano fidelem semper mansisse. lib. 3. annalium pag. 660. & 661.* Hæc memoriæ tradidit Witichindus testis Coævus, in describendis rebus perspicuus, ingenuus, atq; ita omni exceptione major.

(3.) convenit accurata rerum gestarum similitudo.

Res vero ipsa loquitur: *Misicam* Witichindo dictum eundê esse, qui â Dithmaro *Misico* appellatur. Inest enim voci utriq; tanta similitudo, ut leni tantùm literæ a. in o. inflexione accedente, nec ovũ ovo similius esse dixeris. Distinctus hic *Misica* â *Mistui*: Victus ille â Gerone Præside; gener Boleslai Ducis Bohemiæ factus (ex conjugio Dombravæ.) Amicus tandem Imperatoris salutatus. *Quæ major nominum ac rerum convenientia?* In Licicavicorum appellatione tanquàm in scirpo nodus quæreretur, facili tamen conatu solvendus, cùm ipsa nominum disparitas non eundem sed diversos fuisse populos, *Polonos* & *Licicavicos* lucu-

luculenter ostendat. Non ignoratam fuisse Polonorum appellationem, supra evictum; Nec ullus Scriptorum eandem ex utrisque gentem constituere ausus est. Quas verò sedes *Luticavici* tenuerint, non convenit inter Commentatores Historiæ Slavicæ. *Hartknochius* eos in hodiernâ Lusatiâ collocat *lib. 1. c. 1. thesi ultima*. *Bangertus*, etsi in opinionem suam trahatur ab Hartknochiô, diversum sentire videtur, dum Soravos in hodiernâ Lusatorum regione habitâsse demonstrare conatur *pag. 11.* *Reinerus Reineccius* Lusatos olim Lucikos dictos fuisse, non sine fundamento conjicit *in appendice 1. Chronic. Slav. pag. 218.* Hisce conjecturis nostram addere liceat; Luzikavicos Gentem vel ex duabus compositam fuisse, nempe ex Luzicis ac Vilcis; quales olim fuêre Celtiberi, populus ex Celtis & Tiberis conflatus, vel conjunctim Lutikavicos dictos, ex ignorantiâ Synonimorum; cùm Lutizii & Wilci eadem gens sint, diversis tantùm nominibus insignita. Quicunq; tandem fuerint, Polonos tamen non fuisse eosdē sufficienter evictū, fatente ipso *Henrico Mæibomio in Notis ad Vitichindum. pag. 700. in fine*, ubi eundem esse Misicam Lucicavicorum Regem adstruit, qui Dithmaro Misico dicitur. Ad confusionem ex consimili Imperantium appellatione ortam diluendam vocat materiæ series. Imbelle in solâ vocum similitudine patrocinium quæri, sectione 4. ostensum; accedente *Witichindi* sententiâ litis in hoc argumento motæ decisoriâ. Imò ex aliis Historiæ Slavicæ commentatoribus mox patebit;

Quinam fuerint populi Licicavici, exponitur.

(4.) *accedente Meibomii interpretatione ad locū Witichindi.*

tebit; *Bohemos*, *Obotritos*, *Vagrios* & alios *Slavos*, quibus Duces *Misiconum* nominibus fortè insigniti præfuêre, ab *Ottone primo* devictos & tributarios redditos. Altum interim de Polonorum subjectione silentium, aut fortè res â Polonis cum gloriâ gestæ silentio dissimulatæ. *Helmoldum* accuratissimum in Historiâ Slavorum scriptorem perspicuè differentem primùm audiamus: *Fortissimus*, inquit ille, *Otto Rex convertit Exercitum ad subjugandos Slavorum rebelles, quos Pater ejus uno grandi bello domuerat, ipse tanta deinceps virtute constrinxit, ut tributum & Christianitatem pro vitâ simul & patriâ, libenter offerrent victori, baptizatusque est totus gentilium populus: Ecclesiæ in Slavoniâ tunc primum constructæ. L. 1. Chron. Slav. c. 9. n. 8.* Eandem rem iisdem ferè verbis traditam videre licet in *Adamo Bremensi L. 2. c. 3.* & *Abbate Stadensi ad A. 948.* Paulo Langio Cygneo *in Chronic. Citizensi p. 756. num. 40.* Jungendus dictis Authoribus *Continuator Reginonis*, (quem ætate Ottonis I. & II. fortè vixisse finis annaliū ejus innuit; id quod etiam inde elicitur, quod Geronem Ottonis I. Ducem belli, *sui temporis* optimū Principē vocet *ad A. 965.*) Dithmaro coævus, qui Slavorum primo ab Ottone devictorū sæpe meminit ad annum 954. 959. 960. 963. Specialius verò Bohemorū Slavorum mentionem injicit ad annum 950. scribens: Boleslaum Bohemorum Principem Imperatori rebellantem victum & per omnia istius ditioni subditum fuisse.

(5.) *Varii erant Misicones Bohemorum & aliorum Slavorū Duces, quibus bella fuere cum Imperatoribus.*

isse. Polonorum acta silentio prætermissa argumento sunt, aut nulla illis cum Imperio Germanico intercessisse bella; aut minori cum Imperatorum gloriâ gesta fuisse. De eodem Boleslao Fratricida ab Ottone superato refert. *Sigebertus Gemblacensis* ad annum 938. 941. 950. Ad annum verò 958. Slavos â *Vigmanno* adversùm Imperatorem excitatos, repressos tandem, occiso illorum Regulo tradit. Quem Vigmannum ad Slavos non Polonos transiisse constat ex *Dithmaro lib. 2. p. 25.* Cum Polonorum Ducem Misiconem occisum fuisse ex nullis annalibus ostendi possit. Pergit *Sigebertus*: Vigmannum nempe contra Ottonem Rebellem â *Misachâ* Slavorum Regulo Imperatoris amico peremptum *ad annum 967. p. 585.* Cum Sigeberto conveniunt Author *Magni Chronici Belgici pag. 78. numero 33.* Viterbiensis relatio eodem tendit *P. 17. p. 475.* *Fabricius* Misiconem hunc Bohemiæ Ducem fuisse vult, & Ottonis III. auxilio fretum cum fratre suô Boleslaô Bella gessisse scribit *lib. 2. Originum Saxonicarum p. 216. & sequentibus.* eundemque Misiconem intellexisse credendus est, qui Dithmaro Cliens Ottonis III. eique fidelis dicitur *L. 4. p. 67.* Porrò termini extensæ Henrici Aucupis & Ottonis I. in Slavorum regionem potentiæ indicio sunt, in Poloniam usque hanc Imperatorum bigam nunquàm penetrâsse; Nam illos tantùm populos Slavos Rebelles ab Ottone primo subactos, quos pater ejus Henricus Domue-

(6.) à terminis extensæ Imperatorum in Slavorum ditiones non verò Polonicas potentiæ.

domuerat, tradunt annales. Ab Henrico verò, qui Slavorum populi domiti fuerint, *§. 1. & 2.* fusiùs ostensum. Nec est, quod Conringius tantopere urgeat ex *Dithmaro pag. 22. lib. 2.* *Misiconem nempe Imperatori fidelem tributumq; usque Vurta fluvium solvisse.* Hæc, *addit Conringius*, ni fallor, ita accipienda sunt: Tributariam tum fuisse omnem Misicônis Regionem ad Vartham usque â Bohemiæ & Lusatiæ finibus *p. 239.* Simus verò & hîc liberales cedendo Conringii conjecturæ; etsi Dithmarus non exprimat, quis nam ille Misico fuerit; frustra tamen præjudicium Poloniæ libertati adversum ex eo elicere conatur. Etsi enim negari non possit, Vartham fluvium ortum suum debere Poloniæ Minori & paulò post per Majorem Poloniam fluere; docent tamē Geographici Scriptores & experientia testis, eundem fluvium prope Cüstrinum Arcem in Marchiâ Brandenburgensi sese in Oderam exonerare. In qua Marchiâ Brandenburgensi *non Polonos sed reliquos Slavos, Herulos, Leubusios, Wilinos, Stoderanos, Brezanos* cum multis aliis consedisse, Helmoldi testimonio adstruit Reinerus Reineccius *dicto loco in Appendice pag. 219.* Non ergò in Poloniam, sed ad Poloniæ fines protensa Imperatorum arma fuêre, aliumque Misiconem non ex Polonis sed Slavicis ducibus ortum, in illo tractu â Bohemiæ & Lusatiæ finibus usq; ad Confluxum Oderæ & Varthæ imperantem, ab Imperatoribus dictis tributarium factum sequi oportet. Nimium

An accolæ Vartæ fluvii Poloni fuere?

Refutatur Hagecus Polonis adversus convictus ignorantiæ in Chronologiâ.

ùm verò sibi tribuit, *Haggecus*, qui *Mieczeslaum* Polonum, vivente adhuc *Boleslao Pio* Bohemorum Duce, *Dambrovcæ* fratre, anno Christi 994. crebris incursionibus Bohemiam tum vastâsse & sexto demum anno post â *Boleslao* tertio Bohemiæ Duce repressum, Cracoviâ & maxima Poloniæ parte tandem exutum memorat. Erroris sanè non exigui in malè locatô temporis ordine rectè arguitur & convincitur à Cromero *lib. 3. p. 50.* Tandem jus illud Majesta-

(7.) â jure Majestatis circa sacra quod â Mieczeslao & non ab Imperatoribus in Polonia exercitum.

tis circa sacra, cujus vim *Mieczeslaus* Primus Christianus exeruit, in exstructis templis, constitutis collegiis sacris, erectis Episcopatibus, firmum atque inconcussum argumentum est Supremi illius per Poloniam dominatus, ut id post alios *Curæus tradit in annalibus Silesiæ pag. 30. & 31.* Sanè, si in Poloniam usque Imperium Ottonis extensum fuisset, Ecclesiæ quoque ab illô jure Victoris constitutæ fuissent, prout in reliquis Slavorum regionibus ab Imperatoribus Ecclesias Deo dicatas & certis juribus ac privilegiis ornatus, legibus etiam adstrictas fuisse, memorant Historiæ Slavicæ Scriptores.

§. VI.

An quod petierit a Pontifice coronâ Mieczeslaus, ideo Sedi Romanæ tributarius factus.

Cœterùm quò augustiorem posteris suis principatum relinqueret Mieceslaus, hortante senatu, Lampertum Cracoviensem Archiepiscopum sive Episcopum, virum doctum & eloquentem, oratorem mittit ad Benedictum ejus nominis Septimum

mum Pontificem maximum, ut regium diadema sibi mitteret, regemque Polonorum se & posteros suos esse juberet. Quo tempore etiam Stephanus Geisæ filius, post defunctum patrem Ungariæ princeps, eadem de re suum miserat. Atque ille quidem impetravit: quanquam Ungari vulgo crediderunt ab Angelo cælitus ei diadema esse impositum: Nostro negatum est, vel quod de morte ejus nunciatum esset, vel quod differre eam rem Pontifex divino oraculo juberetur: eò quod Poloni venationibus, rapinis ac cædibus mutuis dediti, duri & immanes, contumeliosi & asperi adversus tenuiores atque subditos minùs castè religionem colere dicerentur. Hæc ex Cromero depromta relatio præjudicium libertatis amissæ inferre genti nostræ, eamque Ecclesiæ Romanæ fiduciariam reddere videtur; Verùm cum hic non conveniant Germaniæ Scriptores cum Polonis, in admittendâ rei gestæ veritate; Conringio dissensus istius rationem præbente *his verbis*: Baronius ad annum 1000. n. 18. ex historiâ Romualdi à Petro Damiano descriptâ præclarè notat, Bolislaum à Romano Pontifice coronam sibi petiisse, sed fuisse impeditum ab Henrico Cæsare; rectè hinc colligens, ab Ottone III. Bolislaum illum regium titulum non obtinuisse. Cartuitus Hungarus in vita S. Stephani narrat, annô Regni quartô Stephanum Roma coronam adeptum, quæ Misicæ Polono erat destinata. Incidit autem ille quartus annus in Christi millesimum; adeoque si vera esset Car-

tuiti narratio, vel hinc appareret fabulæ illius de donato ab Ottone Regio titulo vanitas. Sed etiam illam fabulosam esse, patet ex eo, quòd Misicam Polonum in tempora illa referat, qui jam dudum erat mortuus, rerum jam potiente per annos complures Bolislao filio. *p. 241.* Nullâ hîc necessitate adstringimur, ad vindicandã à vano libertatis amittendæ metu Poloniam. Aptior ergo quæstioni huic ventilandæ patebit campus; in historiâ Boleslai Audacis & successorum ejus. Polonis æque ac exteris Scriptoribus in idem tunc ferè consensuris.

§. VII.

An ab Ottone II. Poloni subacti?

Ottonem M. excepit *Otto II.* superstite adhuc Micceslao. *A. 974.* An ab illo prætensum in Poloniam jus armis tentatũ fuerit, non exprimit Conringius. Silentio tamen præterire non possum ea, quæ in præjudicium argumenti præsentis tradere videntur annales. *Dithmarus, Boleslaum Bohemiæ Ducem & Mislui Obotritarum Ducem* ab Ottone II. devictos, refert. *L. 3. p. 49. & 57.* In reliquis annalium libris parciùs de *Ottone II.* bellis intestinis & externis distracto memoratur. *Fabricium* ergò omnium nomine hîc surrogemus, qui *Misiconem* Poloniæ Ducem cum *Boleslao* Boëmo in Imperium conspirâsse refert. Belli verò cum Polonis gesti historiam non pertexit *L. 2. ad Annum 980.* Forte sui immemor *Misiconem* hunc, *Miscovium* Ducem Obotritarum

tarum appellat, eumque Imperatori turbas cientem *A. 982.* repressum tandem, scribit. *ibid. p. 199. 200.* *Gobelinus Persona* eundem *Misicovium* Ducem Obotritarum *Meislovi* nominat, cœterùm in relatione facti cum Fabricio conveniens. An verò Hic ipse Dux Obotritarum terram regio Imperio tenuerit, ut vult *Bangertus p. 39.* dubitare liceret: sed viderit is, quem secutus est, Authorem. Ita nominum & rerum gestarum incertitudine historia præsens laborat.

§. VIII.

Ottonem III. sistit series Imperatorum, in cujus Historiâ fidem meretur *Dithmarus*, judicio *Conringii* non iniquo, Author penè αὐτόπτης. Verùm nihil ibi reperias, quo jacturam patiatur Libertas Polona. Et quanquàm pauca ex illo urgeat *Conringius*, plura excerpere libuit, ut evidenter constet, *Polonos* (si per eos veram gentem intellexit, *non Polavos aut Obotritas aut aliam* gentem Slavicam) non subjectos fuisse ab Imperatore, sed maximum *Ottoni III.* fuisse terrorem. *Miseconis* meminit adhuc D. Author L. IV. *Eum nempe & Mistui* & *Boleslaũ Duces cum cæteris ineffabilibus confluxisse, auxiliũ sibi deinceps, ut Regi ac Domino cum juramẽtis affirmãtes: Accesisse* ad *Henricum Ottonis III.* Tutorem, regnique simul usurpatorem *p. 63. & 64.* Eundem *Henricum Boleslai* amicitiâ & *armis fretum fuisse p. 66. tandem*

A. 984.

An Ottonis III. ætate Poloni Imperio Rom. Germ. tributarii facti.

Dithmarus Misiconis devicti meminit, sed non exprimit, cui genti præsuerit.

dem pace composita inter Ottonem *&* Henricum Boleslaus *&* Misico *cum suis ad Imperatorem perveniunt. Omnibus ritè peractis, muneribus locupletati utrique discesserunt.* Pergit Dithmarus sequent: *In diebus illis Misico semetipsum Regi* (h. e. Imperatori) *dedit, & cum muneribus aliis Camelum ei præsentavit, & duas eum eô expeditiones fecit. pag. 67.* Eô *Tempore Misico & Boleslaus inter se dissonantes multùm sibi invicem nocuerunt, Boleslaus Luititios suis Parentibus & sibi semper fideles in auxilium vocat; Misico autem Imperatricis auxilium postulat, Nuntius posteà à Boleslaô ad Misiconē mittitur,* pacis tractandæ causâ, negotiũ Patris tractaturus, quo v. successu, fusiùs *Dithmarus* exponit *p. 69. & 70. item 71.* Verùm nec hactenus expressit, *cui Genti Slavicæ Misico* præfuerit, nisi quod Slavorum *Wilczorum, Luitiorum & Bohemorum* mentionem faciat, *nullam Polonorum. Misicam* enim LucicavicorumRegē fuisse, continuata rerum ab eodē Misicone (Dithmaro ita dicto) gestarum series documento est; nisi Dithmaro de duobus Miseconibus sermonem fuisse, non sine jacturâ fidei ipsi adhibendæ, admittamus. Aut Unus itaque idemque erit Mesico, de quo hactenus sensit aut sentire debuisset; *lib. 3. p. 49. 57. lib. 4. pag. 63. 64. 66. 67. 71. p. 80.* aut si duorum historiam texit, inconsultè videtur adjecisse: Se *Miseconis Poleniorum Ducis Inclyti & in superioribus libris resignati residuum explicatu-*

Lucicavicorum non Polonorum Rex devictus.

(1.) ob continuatam rerum gestarũ seriem.

rum,

rum, cùm major fides habenda sit *Witichindo* Scriptori Coævo, quàm *Dithmaro.* Accedit *Mieczeslaum* Polonum jam *annô 999.* obisse cùm tamen Historia *Misiconis* post mortem *Ottonis III.* quæ *annô 1002.* contigit, â Dithmarô continuetur. Imò quædam in librô primo Dithmari desiderari & inter deperdita haberi, observavit *Joachimus Johannes Maderus in Editione Dithmari p. 15.* Ubi Misiconis fortè Poloniorum Ducis Mentio facta: quam tamen rem ut incertam prætermittimus. Sibi tamen imputet quod clariùs non expresserit; Eorumq; itaq;, qui Dithmarum seqvuntur erit sentire incommoda obscuræ dictionis, quæ in odium Poloniæ torqueri nequit. *arg. l. veteris ff. de Pactis.* Si *Fabricius* fidem meretur; *Misico* ille *Bohemorum Dux* fuisse credendus est, ut supra ex eôdem relatum, cum de bellô & pace inter Misiconem & Boleslaum Bohemos tractata relatio omnibus ferè circumstantiis conveniat. Nec planè contemnenda est Fabricii conjectura, cum etiam olim *Lambertus Schafnaburgensis* brevibus quidem, distinctis tamen verbis innuat, Misiconem hunc Bohemum fuisse; *Otto*, inquit, *Rex Puer Bohemiam vastavit, sed Misiconem cum mulieribus obvium suscepit. ad Annum 786.* & iterum; *Rex Bohemiam intravit, & ad deditionem coëgit ad Annum 987.* Addent lucem *Abbas Stadensis ad 987.* & Adam Bremensis *L. 2. c. 17.* qui Slavo-

(2.) ob majorem fidem habendam Witichindo quàm Dithmaro.

(3.) quod Misico Polonus eo tempore jam non vixerit, quo res gestæ.

(4.) ob defectum in Libris Dithmari.

(5.) obscura relatio contra referentem interpretanda.

(6.) quod omnia etiam conveniant cum Miseconis Bohemiæ Ducis gestis.

rum

rum eorumque Duces *Misizza, Naco, Sederich & Winulorum Duces Mizzidroum & Mistrawor devictos* referunt. Nemo ex his Polonus, quod nomen ipsi ignotum non fuit, ut patet ex eô. *Lib. 2. c. 10.* Dubium adhuc superesse videtur, quî fiat, quod

(7.) *Polonorum confessio ex errore nominis Misico, orta.* Poloni quoq; scriptores occasionem conversionis Mieceslai ex matrimonio cum *Dombravkâ* Bohemâ depromptâ ipsi agnoscant: Et hi forte decepti ex nominis similitudine, cùm multi Slavorum Principes Misicones dicti fuerint. Docet *Lubiensky* jam ante Mieceslaum religionem Christianam in Poloniâ viguisse, *in opere Posthumo, in proëmio, in Vitâ Episcoporum Plocensium pag. 301.* etsi non planè inficier, â Mieceslao forte eandem publicè promulgatam fuisse.

§. IX.

Boleslaum Chrobri Mieczeslao succedit in Polonia. *Boleslaum Chrobri* jam series temporum exhibet. Initium regiminis ab *Anno 999. ad 1025.* communiter statuitur, adeòque Coævum adhuc ipsi fuit Imperium *Ottonis III. & Henrici II.* Quantùm hic hallucinetur *Æneas Sylvius*, quod Misiconem *Boleslao tertio* Bohemiæ Duci adhuc Coævum ponat, solidissimè explicuit *Cromerus*, cùm Misico longè ante tempora istius Boleslai obierit. *L. 3.* Rectiùs ergò Dubravius cum Polonorû annalibus conspirans, Historiam *Boleslai Poloni* ab Anno circiter Millesimo

lesimo texit. Varia hîc incidunt, digna memoratu, cum utrisque adversarum partium Patronis favere videantur Annales. Ut verò perspicuè & singula probè excutiantur momenta; Præcipuum eorum quæstioni materiem dabit. *An Boleslaus Chrobri armis Ottonis III. ejusque Successoris Henrici II. vel etiam Bohemiæ Ducis potentiâ subactus, Eorum Imperio obnoxius vel tributarius redditus fuerit?* Dithmarus hâc in materiâ Scriptor coævus fidem mereretur indubiam, si accuratiorem habuisset Historiæ Slavicæ cognitionem. Sœpe ab ipso *Boleslaorum & Misiconum* nomina confunduntur, sœpe Historiæ unius gentis Slavicæ cum alterius annalibus commutantur; connexione Annalium hunc errorem luculenter exhibente. Interim, quemcunque Boleslaum intellexerit, eum tamen nunquam Ottonis III. aut Henrici II. clientem aut tributarium factum, eodem Dithmaro judice, evincetur. Et ne copiosa testimoniorum citatione opus nimiùm protrahamus, indice tantùm Lectorem ad Dithmarum remisisse proderit. Meminitis *Boleslai* tanquàm *degeneris filii Misiconis, crudelis & libidinibus* addicti *lib. IV. p. 89. 90. & 91.* Patre longè inferioris, qui imperata Imperatoris facere ut Pater ejus, recusavit *lib. 2. p. 35.* Sœpè eum felici adversum Imperatorem fortuna usum, rebellionem tamen ejus repressam, vult. *Lib. 5. p. 109. 112. 114. & 115.* Victoriis etiam crebrioribus elatum, omnes regionis illius terminos usque ad

An ab Ottone III. Henrico II. vel Bohemis victus & tributarius factus.

Ex Dithmaro omnia in genue excerpta traduntur.

Isthram fluvium præoccupâsse *Ibid.* Bohemiæ quoque regno potitum, eô tamen exutum Patriam suam revisisse *Lib. 6. p. 129. 130.* Budissinam deinde Polonico Præsidio munitam *Henrico II.* jussu tamen Boleslai traditam, fatigatumque in super Cœsaris exercitum rediisse *p. 132. & 133.* Expeditionem postea â Cœsare in Boleslaum factam, sed infelici successu *p. 134. 135.* fugatum quidem postea Boleslaum Posnaniam usque, ibi ab Henrico pacem petiisse & obtinuisse, nullo tamen Cœsareanorum lucrô. Læti enim, *addit*, revertebantur nostri, quia itineris longitudine & nimiâ fame cum intermixtâ belli asperitate magnum sufferebantur laborem *Lib. 6. p. 138.* Jaromirus Bohemus iterum â Boleslaô bello petitus, ejusque ditiones, Luzici, Zara, Selpuli & Budissina occupatæ. *pag. 142. & 143.* Rex illatum sibi â Boleslao damnum & contumeliam sœpè revolvens *Glogoviam*, ubi Boleslaus erat, tentavit, sed irrito conatu *pag. 155. & 156.* repetita in Boleslaum expeditio, eodem infelici successu *pag. 162.* Favit tunc Boleslao fortuna, expugnata mox Libusia præsidio Cœsareo instructa, & triumphi de illâ ducti *p. 168. 169.* Tandem Boleslaus in bello pacis negotium meditans nuncios ad Henricum II. mittit pacê petentes, *inter quos filius Boleslai*, Miseco, cum *magnis veniens muneribus Regis efficitur, & fidem cum sacramento firmat. p. 174. 175.* Bolizlavus, verò Pater cum securitate obsidum apud se relictorum venit, & optimè suscipitur. In die sancto

ẞo manibus applicatis *miles efficitur*, & post Sacramenta, Regi ad Ecclesiam ornato incedenti *armiger* habetur. In 11. feriâ Regem magnis muneribus â se & â confectali suâ oblatis placavit, deindeque regiâ largitate his meliora, ac multò majora cum *beneficio diu desiderato suscepit*, & obsides suos cum honore & lætitiâ remisit. *pag. 175. & 176.* Eundem Boleslaum Henrico postea Italiam petenti infidelem factum scribit, *Ibidem.* successu vero temporis *Misico* Filius â Patre Boleslaô missus ad *Uldaricum* Bohemum firmandæ amicitiæ gratia, detinetur â Bohemo, intercessione tamen Cœsaris dimissus monetur, ne Cœsari incommodum amplius inferat *pag. 189. & 190.* Variâ deinde fortunâ propè *Crosnam* & *Glogoviam* pugnatum fuit, â Cœsare cum Bolislao, favente huic magis fortunâ, quam illi; ita tamen ut *Boleslaus* eandem semper temperaverit, ut patet *ex libro 7. pag. 192. 197. 215. 219. 221. 222. 223. 224. 228. & 229.* Tandem Pax coaluit inter *Henricum II. & Boleslaum* assiduâ nempe Posterioris supplicatione, ut vult Dithmarus *lib. 8. pag. 232.* addit tamen: *non opus esse, autumo, de Boleslao amplius differere, cujus nomen & conversatio si Dominus Omnipotens vellet, satius nobis lateret, omne hoc, quod Pater suus & iste nobis in connubio ac familiaritate magnâ copulati sunt, plus damni subsequentis, quàm boni præcedentis attulit ac in futuro afferet, quia etsi pace simulata, nos ad tempus diligat, tamen per secretas tentationum veritates nos â Charitate*

Decisio clarâ & perspicua ex præmissis excerptis, qua docetur; (1.) Boleslaum non victum, sed victorem plerumque fuisse, adeoque nunquã tributarium.

ritate mutuâ, â libertate innatâ deducere, & si quando tempus ei ac locus contingit, in perniciem apertam assurgere non resistit, pag. 236. Lectoris jam erit judicare, *An Boleslaus (quisquis is fuerit Polonus, Bohemus, vel alius Slavus,) tot præliorum victor, tot urbium expugnator, armis potentior, Imperii Romani terror & vel ipso nomine invisus, Ottonis III. & Henrici II. imperata facere necesse habuerit?* Pompam ergò sapiunt Dithmari verba. *Pacem ab Henrico II. datam Boleslao petenti & supplicanti.* Imbecillitatis enim nota esset, ad talia confugere velle. At gens, quæ plus armis aut viribus valet, aut par hostibus esse potest, pacem petere etiam fine detrimento turpe sibi esse judicat. Nec verò ulla res Henricum II. Regem Galliæ & Carolum V. Imperatorem ab ineundâ pace tamdiu retardavit, quàm quòd incerto rumore Carolus pacem â Rege petiisse diceretur; quo nihil ab ullo Principe, ne votis quidem conceptis majus optari potest; eoque magis, si fines hostium pervaserit, ut idem Imperator Francisco Rege I. non modò suis, sed etiam Germanorum & Anglorum opibus fretus, hujus imperii provincias quasi finium regundorum judicio vindicabat; quibus verbis in simili argumento utitur *Bodinus lib. 5. de Rep. cap. 5. pag. 889. & sequentibus.* Verbo: Potentioris est pacis dare conditiones, imbecillioris petere. Grot. *L. 3. c. 20. §. 20.* Non fine injuriâ ergo Gentis nostræ talia Dithmarus tradidit, quæ Veritati

(2.) *pacem ab Imperatore non petiisse.*

ritati & ipsi rationi primò obtutu adversa sunt, adeo ut Bzovius ipsum somniasse rectè judicet, nullâ injuriâ idcirco illi illatâ, quâ etsi indignè affectum autumet Conringius. Non inficior equidem, Boleslaum repressum sæpè & præliis victum, si fides habenda sit Dithmaro, nunquam tamen *ita victum*, ipse Dithmarus testatur, *ut petitis excideret Boleslaus & Imperatori certata relinqueret*, (qui verus est victoriæ effectus ut explicat *Albericus Gentilis de arm. Rom. lib. 2. cap. 5.*) Et verè hùc spectat, quod de Populo Rom. dictum olim, *illum Victum vi & superatum præliis sæpe multis, bellô vero nunquam, in quo sunt omnia.* De cujus dicti veritate videri potest *Albericus Gentilis dictô tractatu lib. 1. c. 5. & lib. 2. c. 5.* Imò ipsa prælia, ex quibus Henricus II. Imper. Victoriam reportasse creditur, luculenter demonstrant, Imperatorem magis pro Victore se gessisse, quam Victorem se sensisse, ut *Polybius de Philippo Macedone notat lib. 16.* Tales enim plerumque fuerant præliorum exitus, ne dicam Poloniæ magis auspicati, ut uterque pro se potuisset interpretari, ipso Dithmaro non reluctante. Frustrà itaque Henricum Victorem dixeris vel Victoris jure pacem & pacis leges Boleslao dedisse. Non enim patitur æqualitas potentiæ, vel dubius Belli exitus, ut alter Victoris, alter Victi partes sustineat, ut clarè demonstratum â *Grotiô lib. 3. cap. 20. thesi 45.* & Exemplis illustratum â *Struviô dissertatione de Victoria & clade Thesi 10. & 88.* Sed

(3.) *etsi petiisse dicendus, ideo Imperio non subjectus.*

 simus

ſimus & hîc liberales admittendo, pacem â *Boleslaô* rogatam, vel potiùs oblatam, & ab *Henrico ſecundo* acceptatâ & confirmatam. Nullum inde ſubjectionis argumentum. Boni & Pii Principis nota eſt, in bellô pacis habere curam, eamque quibuslibet modis procurare etiam cum læſione ſui. Ut enim inter Privatos verecundæ mentis eſſe dicitur, qui lites exſecratur, ita Principibus laudi cedit, qui etiam poſt acceptum aliquod injuriarum paci tamen conſulunt. Quo nomine ſapiens Indus Jarchus laudabat Regem, qui læſus â Vicino fœderato *οὐ παρέλυσε τοὺς ὅρκους, οὕτω βεβαίως ὀμωμοκέναι φήσας, ὡς μηδὲ ὁπότε ἠδικεῖτο λυπεῖν αὐτὸν*: *Non diſcesſit â juratâ fide, ajens tam ſanctè ſe juraſſe, ut alteri ne poſt acceptam quidem injuriam nociturus ceſſet, apud* Philoſtratum. *lib. 3. cap. 6.* Et hinc nihil turpe videri poteſt, quod cum ſalute Reip. conjunctum eſt, ut in conſimili ferè caſu judicat *Bodinus. pag. 891.* Quidni generoſi eſſet animi, victoriis cum temperamento uti, & curam parcendi humani ſangvinis habere, bellô in quô homo homine prodigè utitur, abſtinere, & pacem etiam armis Inferiori offerre. Ita Pyrrhus olim duplici adverſus Romanos Victoriâ felix, ac penè Italiâ potitus, legatos Romam miſit, pacis conditionis æquas excepturus. Erat verò Illa apud Romanos ambitio, ut potius Rempubl. cum omnibus fortunis in diſcrimen adduxiſſent, quàm ut Pacem peterent aut pacis Conditiones præſcriptas acciperent. Reſponſum ergò Legatis Pyrrhi, nullam fore pacis actionem, nisi Pyrrhus Italiâ

Italiâ excederet. Rex magnanimus acceptô reſponsô dixiſſe fertur, Romanos nec Victores nec Victos acquieſcere poſſe. Magnum certè & laudabile Generoſitatis in mediis Victoriis documentum. Et Lucius Marcius Proconſul cum exercitu Romanorum fuſus, oblatas â Perſeo victore pacis conditiones repudiavit, niſi Perſeus ſe ipſum ac Macedoniæ Regnum ſenatus Populique Rom. legibus poteſtatiq; permitteret, deducente id fuſius Bodino *dictô locô.* Manſit verò is Ambitionis ſtimulus in Imperatoribus Romano-Germanicis, ut turpe & ignominioſum ſibi eſſe ducerent, pacem Victoribus etiam offerre; imo docebunt ſequentia tempora, ſubornatos ſœpè ab Imperatoribus vicinos Principes, qui Polonis perſuaderent, ut de Pace ad Imperatorem mitterent, aut ipſi venirent, cujus rei documentum erit Hiſtoria belli inter Fridericum Imperatorem & Boleslaum Criſpum geſti. Sed ne rigorem Juris Regni noſtri, cum quodam Imperii Romani contemtu defendere videamur; judicio *Sarnicii* pio ac modeſto eundem temperare liceat: *Majores noſtri*, inquit, *haud dubie eâ prudentiâ & modeſtiâ præditi erant, ut licet fines ſuos conſtantisſimè præpugnarent, tamen Imperium Romanum Dei opus eſſe agnoſcerent. Nec judicabant Felices illos futuros, qui temerè manus novandis rebus injicere vellent. Interim potentiorum Principum, ſi quando arrogantius impeterentur, vim vi repellebant, Marobudi illius, Regis Marcomanorum* (4.) *Polonorum Modeſtia in bellis laudatur.*

comanorum, *ex Quadis seu Sarmatis oriundi exemplum imitati, qui Augusti temporibus florebat.* *De quo sic Vellejus Paterculus memoriæ prodidit*: *Marobudus genere nobilis, natione magis quam ratione barbarus-finitimos omnes domuit bello, aut conditionibus, juris sui fecit. Disciplinæ Militaris exemplum ad formam Romanorum retinebat. Adversus Romanos sic se gerebat, ut bellô eos non lacesseret, sed tamen ostenderet, si lacesseretur superesse sibi vim, voluntatem & facultatem resistendi. Annalium Pol.*

Ditmarus refutatur. *lib. 5. p. 195.* Sed ut erroris jam in relatione facti convincatur Dithmarus, ostendent documenta, pleraque, quæ de Boleslao Polono refert, *Boleslaum vel Bohemorum vel Obotritarum Regem*, *Billugum* dictum, concernunt; seu Nativitatem, seu Conjugia, seu Res gestas, seu Posteritatem, seu Coæva Ottonis III. & Henrici II. imperia spectes.

Quod Boleslaum Polonum, cum Boleslao Obotrita vel Bohemo confundat.

(1) ex errore nominis.

Misluô enim Duci Obotritarum, Ottonis III. tempore *Anno 986.* successit filius ejus *Billugus* Obotritarum Regulus *teste Helmoldo lib. 1. cap. 13. cui addatur Bangertus pag. 39. circa finem.* Hic Edvardi cujusdam filiam Vagonis sororem in Matrimoniũ exoptavit & obtinuit (*Oddam fortè dictam ex eô conjicere licet, quod filiam Boleslaus ex ea susceptam Hodiccam habuerit, Dithmarus* eandem *Odam* appellat.) *Eccihardi filiam* â *Boleslao* diu jam desideratam, *& per filium suimet Ottonem vocatam Cizam venisse & ibi Boleslao copulatam fuisse lib. 8. p. 232.*

(2.) ex convenientia rerum.

Fabricius Boleslaum Bohemum fuisse scribit, nempe *Bohemum Odam Ecchardi Marchionis Misnensis*

nensis filiam se ducturum promisisse & Ottonem sponsæ fratrem, Puellam Boleslao desponsatam Zitium deduxisse. lib. 2. Originum Saxonicarum. pag. 310. ad Annum 1019. Hic ipse *Echardus* Dithmaro *Eccihardus*, Helmoldo *Edvardus* dicitur; eundemque fuisse constat ex eo, quod *Marchio* Dithmaro dicatur, Fabricio, *Marchio Misniæ*, sedemque habuerit juxta Helmoldum *Aldenburgi*, quòd præcipuum erat Misniæ oppidum. Conveniunt rerum gestarum tempora, ut ex Helmoldo constat, omnia enim hæc facta circa decursum Seculi 10. & initium 11. accidisse supra ostensum.

(3) convenientia temporis.

Tandem posteritas *Billugi seu Boleslai* ex eô conspicitur, quod filius ejus *Mislaus* cum Patre erga Imperatorẽ varia tentaverit, ut refert Helmoldus *lib. 1. cap. 14. num. 5.* Hæc omnia confusionem *Dithmaro* scriptori in exteris minùs versato ingenerare poterant.

(4.) a posteritatis Boleslai Obotritæ argumento.

Helmoldus in Historia Slavorum tanquam Patriâ Exercitatissimus Scriptor, *Boleslaum Poloniæ Regem* â *Boleslao Obotritarum* & aliô Boleslao quodam (forte Bohemorum) impudico distinctis verbis separat. De Boleslao Obotritarum Regulo jam habuimus ex *cap. 13. num. 6.* De Polono ergò & alio ita Helmoldus: *Eodem quoque tempore* (scilicet Ottonis III.) *Bolizlaus Polonorum Christianissimus Rex, confœderatus cum Ottone III. omnem Slaviam, quæ est ultra Oderam, tributis subjecit, sed & Russiam & Prussos, â quibus passus est Adalbertus Episcopus, cujus reliquias tunc Bolizlaus transtulit in Poloniam. Principes Slavorum qui Winuli sive Winithi dicuntur, fuerunt eo tempore Misla, Naccon,*

(5.) a distinctio Helmoldi accuratissimi in Historia Slavicâ scriptoris judicio.

& Sederich, sub quibus pax continua fuit, & Slavi sub tributo servierunt. Nec prætereundum videtur, quod idem Misizlaus Obotritarum Princeps, Christum palàm confitens, sed clàm persequens, sororem suam, Deo dicatam Virginem Hodicam, monasterio Virginum quod erat Mikilinburg, subtraxit, eamque cuidam Bolislao, incestissimo sociavit conjugio. lib.1. c.15. num.1.2.3. Aut ergò confusa à Dithmaro de Boleslais & Misiconibus Historia, aut si vera; colligere tamen licebit, Boleslaũ, quicunq; is fuerit, semper potentiâ armorum prævaluisse, aut parem fuisse Imperatoribus. Quantum negotii Boleslaus Polonus Bohemiæ regno intulerit, non patrii tantum sed & Bohemici annales testantur *Cromerus, Gvagvinus, Neubaur &c. È Bohemicis Æneas Sylvius & Dubravius*, in eô tantùm differentes, quòd Dubravius, nullo jure sed summâ injuriâ Bohemiam vastatam à Boleslao & subjectam, doleat. Æneas verò Sylvius temporis rationem neglexit, dum à Miscone I. quem nos Mieczeslaum vocamus, Boleslao III. Duci Bohemorum bellum illatum scribit. Nam longè, postquam Boleslaus Bohemus in principatu Patri successit, Mieczeslaus noster mortuus est. Cujus & aliorum errorum convictum Æneam Sylvium vid. in *Cromero pag. 54, 55. & seqq.* Ab eodem Autore Bonfinius, *decade 2. lib. 1.* refutatur, quod ab Henrico Polonos armis ad professionem Christi adductos refert; Facile enim id Ratio temporum refutat, cùm utramq; gentem, longè ante hunc Imperatorem Religionem Christianam suscepisse constet. Nec sine

(6.) à Boleslai Victoriis in terris Bohemiæ.

sine

sine Censurâ *Venceslaum Haggecum* dimittit, quòd hic Boleslaum duobus præliis, contra Henricum Imperatorẽ, Victorem, dum pertinacius fugientes Germanos persequitur, captum Henricoq; traditũ ingenti pecuniâ se redemisse narret. *Viderit ergò*, judicat ita Cromerus, *ne imprudens hæc Henrico & Boleslao accommodarit, quæ de aliis memoriæ prodita sunt à nostris: & quidem affingens non nihil, ne dicam multa, de suo, quæ nos suo loco attingemus. Aliorum quidem quotquot de Henrico hoc literis aliquid mandarunt, nemo quicquam ejusmodi de eo scriptum reliquit, quod ego sciam, præter Lambertum Saffnaburgensem: qui tamen Henricum bis duxisse modò exercitum contra Polonos memorat*, nimirum anno Christi 1015. & iterum anno 1017. (Verba vero Lamberti hæc sunt: *Imperator ad Polonos cum exercitu abiit*, nec multò post, *Imperator contra Polonos iterum exercitum duxit.*) *nisi fortè hùc detorquendum esse duxit id Hagecus, quod apud H. Mutium vel alium quempiam Germanum scriptorem legerat: Henricum hunc exercitum duxisse in Boemos & Slavos, & cum his sæpius congressum, semper victorem discessisse, admodum exiguam suorum jacturam passum. Eos verò prælio præter alia majore postremò victos pacem petiisse & jugum admisisse. Subjugatis autem Boemis, & eorum Principe Boleslao, quem ille Bodislaum depravatè vocat, apud illos jura & leges in rebus profanis ac sacris ordinâsse. Hæc ipsis ferè Mutii verbis relata viderit æqvus lector, an ad Boleslaum nostrum*

&

& Polonos pertineant: pag. 661. De felici *Boleslai* in *Russiam* & *Prussiam* expeditione, redactisq; sub tributum istis provinciis, Helmoldum testem habuimus: *Moraviam* quoque Polono Regi tributariam factam, ex Vincentio Dugloſſo memorat *Cromerus pag. 56.* Imò in ipsam Germaniam ad ipsam usque Cymbricam Chersonesum penetrâsse & ad ripam Salæ trophea & limites Boleslaum fixisse, scribunt Poloni præeunte Kadlubkone *L. 2. Chron. epist. 13. p. 138.* Fateturque ipse *Curæus* ita scribens; *Ex consensu Historicorum, qui illi seculo fuerunt viciniores, intelligi potest, Boleslaum repudiatâ pace, quam cum Ottone inierat, sub Henrici Bavari imperio, quem initio Civilia arma, & deinde bella Italica exercuerunt, imprimis vicinas Marchias Lusaticam & Misnensem, cum exercitu percurrisse, occupâsse, etiam urbes Budisſinam & Misenam, ut Henetis seu Vandalis, quos in suam potestatem Marchiones redegerant, esset præsidio. Etsi autem ad Cimbricam usque Chersonesum eum Victorem pervasisse nostri scriptores non commemorant, & vix credibile sit, robur penè universæ Germaniæ illi tàm facile fuisse cessurum, quod Carolum Magnum totos triginta annos represſit: tamen Vandalicam gentem, quæ à ripa Albis ad Salam usque habitabat, eum aliquot annos conjunctam cum regnô Poloniæ retinuisse, consentaneum est. Annalium Siles. pag. 35.* Nec est, quod Bzovium eadem referentem impudentiæ arguat Conringius, eumque *ab Herwardo in Mantissa pag. 130.* egregiè exceptum sibi gratuletur. Manet enim inconcussa sententiæ nostræ veritas

Scri-

Scriptorum non Patriorum tantùm, sed & exterorum recentiorum æque ac antiquorum monumentis firmata, *Boleslaum nostrum nec vi, nec jure armorum ab Ottone III. & Henrico II. Imperatoribus devictum esse.* Frustra itaque allegabitur à Conringio Marianus *Scotus lib. 3. ætate 6.* Qui Henricum Italiam, Bohemiam, & Boleslaum Ducem cum omni Sclavorum gente subjugâsse, scribit *ad Ann. 1004. pag. 449.* Conveniunt *Hermannus Contractus* iisdem ferè verbis, Victoriam Henrici referens, ad dictum annum *p. 135.* *Et Abbas Stadensis ad Annum 1003. folio. 112.* *Albertus Bremensis* vero Slavorum tantùm tributo subjectorum meminit *lib. 2. cap 34.* *Sigebertus Gemblacensis* memorat, *Reges Gentilium in interiori Germaniâ commorantes,* (qui dicuntur Vinidi) *ab Henrico tributarios factos* ad annum *1003. p. 591.* Frustra, inquam, inde elicit Conringius, Boleslaum istum Poloniæ ducem fuisse, cùm dicti Authores, Polonorũ mentionem non faciant, sed Slavorum, & Bohemorum, eorumque Ducis Boleslai. Et ipse Mutius Interpres istorum Authorum in favorem causæ Imperatoriæ hîc admittatur; qui disertis verbis Boleslaum hunc Bohemorum Principem devictum fuisse, scribit verbis sequentibus: *Galliâ sedatâ singulari felicitate & virtute, exercitum victorem ducit in rebelles Boëmos & Sclavos, cum quibus sæpius congressus. Semper victor discedit, admodum exiguam suorum jacturam passus. Prælio verò præter alia majore postremo victi, pacem petunt, jugumq; admittunt, subjugatis Boëmis & eorum Principe Bolislao* apud

Decisio pro libertate regni victoriis Boleslai ex præcedentibus deducta.

Falsum argumentum à Slavis devictis ad subjectionem Polonorũ concludendam.

Accedente nomine omnium Mutii intensissimi jurium Romanorũ defensoris interpretatione.

apud illos jura & leges in rebus profanis & sacris ordinavit lib. 14. Germ. Chronic. pag. 108. num. 53. Et *pag. 109. Gobelinus Persona* expeditionis ab Imperatore in Poloniam factæ meminit, quô verò successu, non exprimit *in Cosmodromio suo ætate 6. cap. 52. pag. 257.*

§. X.

Ottonis III. ad sepulchrû Adalberti in Poloniâ institutû iter, cujus occasione varia notatu digna in argumento nostro occurrunt.

Repressis itaque jam arietibus istis, contra Cuniculos alios eversionem libertatis Poloniæ molientes, novis excubiis opus est. Scribunt enim seculi illius Commentatores exteri: pertractis in sententiæ suæ sequelam Polonis scriptoribus. Ottonem nempe Imperatorem in Poloniam ad sepulchrum Novi Martyris Adalberti venisse, sive exsolvendi voti, quod gravi morbo implicatus voverat, gratia, sive expiandi sceleris causa, quo Comitem quendam insontem, calumnia libidinosæ Uxoris suæ incitatus, pro adultero indictâ causâ interfici jusserat. Exceptus est â Boleslao Imperator, habitusque unà cum suis omnibus plusquam regali magnificentiâ & liberalitate, & cum aliis amplissimis donis, tum Abaco & Instrumento Mensæ omni aureo & argenteo, quod triduo novum semper promebatur, auleisque & vestibus preciosis donatus. Volens autem tam splendido hospiti & amico Principi parem referre gratiam, collocutus cum consilio, quod secum in comitatu habebat, *Regem eum appellat, sociumque & Amicum Rom. Imperii: â tributo & omni jurisdictione* Imperatoris immunem. *Ac diadema suum, Gaudentio Archiepiscopo solennes Cæremonias peragente, ipsi imponit:* eumque honorem sempiternum ipsi & posteris ipsius in Poloniâ regnaturis esse jubet. His adjungit hospitale munus: unum de clavis, quibus Servator noster affixus fuisse creditur. Viciffim autem Brachium Divi Adalberti â novo Rege accepit: quod Romæ in Insulâ apud Divi Bartholomæi ædem ab eô postea deposita esse fertur. Et quo arctior firmiorque esset inter ipsos & posteros ipsorum necessitudo, Rixam Hezonis Erenfridi Comitis Palatini Rheni filiam è Sorore sua Machtildi susceptam, Mieceslao Regis filio, puero duodecimum annum agenti, despondet Imperator. *Referunt hæc* Cromerus *lib. 3. de Rebus Pol. pag. 52. circa finem & 53.* Neugebauer *lib. 3. Hist. Pol. cap. 53.* Cadlubco *lib. 2. Epist. 11. cum Commentario. Et alii Scriptores Poloniæ.* Habent verò illi, cujus Authoritatem in plerisque sequantur. Meminit enim ipse Dithmarus peregrinationis ab Ottone III. ad Boleslaum in Poloniam visendi sepulchri Adalberti institutæ, munerum etiam â Boleslaô Ottoni III. oblatorum *lib 4. pag. 83.* Ast de Coronatione Boleslai & liberatione â tributô Dithmarus silet. Miratur Hartknoch Dithmarum Mersburgensem, qui plurima ex iis, quæ scripsit, ipse oculis vidit, nullam omnino facere mentionem Regii tituli, quando de Polonis Principibus loquitur: Sed

semper

ſemper eos appellare Duces Poloniæ. Et licet etiam iter illud Ottonis III. in Poloniam ad viſendum corpus Adalberti Martyris ſuſceptum deſcribat, ne verbo tamen unico indicat, vel Imperatorem Boleslao dignitatem Regiam contuliſſe vel poſtea Boleslaum hunc ſibi honorem invito Cœſare ſumpſiſſe. *lib. 1. cap. 2. theſ. 8. pag. 44.* Cum Dithmari relatione conveniunt *Dubravius lib.6. p.47.* Author Chronici Magdeburgenſis. *p. 280.* Dubia ergò videntur, quæ recentiores tradunt â ſcriptoribus Coævis non memorata. In ſerie quoque Imperatorum malè locata errant, dum ab Ottone II. Ruffo dicto peregrinationem inſtitutam referunt, inter quos eſt *Crantius lib. 2. cap. 36.* *Cureus* quidem impetratum ab Imperatore Ottone III. Regium nomen admittit. Verum pompam illam plusquam perſicam, quâ dicunt exceptum fuiſſe Imperatorem â Boleslao, ex vanitate Veterum Hiſtoricorum confictam eſſe auguratur: Neque enim Otto Imperator potens & felix, ob hanc cauſam tam longum iter ingreſſus eſſe putari debet: cum eâ ætate nondum in frequenti uſu eſſent illæ peregrinationes, & Martyr ille recens parum eſſet notus Germanis. Deinde, neque tunc potuit eſſe ille faſtus & oſtentatio purpuræ & auri in Poloniâ cum regnum adhuc eſſet novum, parùm excultum urbibus, atque ideò minimè opulentum, ita ut ipſi Scriptores non arbitrentur, tunc uſum fuiſſe numiſmatis aurei vel argentei in Polonia. *Annal. Sileſ. pag. 33.*

Veritas itineris in Poloniam, & muneris Ottoni I. Beatorum adſtruit, aſt coronatio in dubium vocatur.

(1.) *quod ſcriptores nihil memorent coævi.*

(2.) *pompa illa quâ exceptus â Boliſlao Otto. III. paupertati regionis adverſa videtur.*

33. *Bodinus* Sceptra regia ab Imperatoribus Germanicis oblata, â Polonis verò recuſata vult, addens: *Sæpe quidem Germani Polonos ſub imperium ſubjicere tentarunt, ſed inanes eorum conatus eluſerunt Poloni, qui etiam Sileſiam & Pruſſiam ab Imperio Germanico avulſam, ſuæ ditioni adjecerunt. Quod Pruteni equites cùm moleſtiſſimè tulerint, ac ſæpiſſime apud Imperii ordines de contumeliâ iſtâ queſti ſint, nihil tamen Imperatores audendum ſibi putarunt adverſus Polonos, â quibus antea Germanorum Exercitus repulſos ac fractos eſſe intelligebant. Neque tamen Poloni â Pontificibus Rom. regia ſceptra capere dubitarunt. lib. 1. cap. 9. pag. 203.* *Dithmari* jam dicti ſilentium in injuriam Polonorum torquet *Conringius*, Boleslaum nempe nec coronâ donatum ab Ottone, nec in ordinem Regium cooptatum fuiſſe. Trahit in partes ſuas *Baronium* ad Annum *1000. num. 18.* qui ex Hiſtoria Romualdi â Petro Damiano deſcripta præclare notat, *Bolislaum â Romano Pontifice coronam ſibi petiiſſe, ſed fuiſſe impeditum ab Henrico Cæſare; rectè hinc colligens, ab Ottone III. Bolislaum illum regium titulum nunquam obtinuiſſe. Hæc Conringii ſunt judicia, cap. 19. pag. 241.* In hâc ſententiarum diverſitate hæret animus, cui calculum addat, & ne ex conceſsâ vel negatâ Coronâ Regiâ argumentum aliquot Auctoritatis Cœſareæ in Poloniam depromatur, *Hartknochii* judicium non iniqvum hîc primò inſeramus, quô probare conatur, jam ante Boleslaum in Poloniâ Reges fuiſſe; *Vincentius* enim

(3.) *Bodinus oblata ab Imperatoribus regia Sceptra â Polonis recuſata probare conatur.*

T

enim *Kadlubko* Vetustissimus Polonicæ Historiæ Conditor alia prorsus ab his, quæ modò adducta sunt, prodidit. Etenim de Ottonis III. in Poloniam adventu sic ait: *Otto Rufus Imperator desiderio experiendi ea, quæ fama de Boleslao diffuderat, Poloniam ingreditur, quasi Beato Martyri Adalberto votivam exhibiturus reverentiam, Imperiale itaque diadema detrahens capiti Boleslai non sine reverentiâ imponit. Suo ergo diademate caput illius convenustat.* Hæc Kadlubko lib. 2. Chron. Epist. XI. pag. 130. Commendator Kadlubkonis, qui ante Dlugossum vixit: hæc addit: Otto Imperator III. Rufus Boleslaum consortem Imperii ordinavit, sibique cum magnâ reverentiâ diadema imposuit *pag. 133.* Itaque hi scriptores vetusti, de regio titulo ab Imperatore Boleslao Principi Poloniæ collato nihil habent; sed & alios retro Principes, qui ante Boleslaum Chrobri, Poloniæ præfuerunt, appellant Reges. Imò & Boleslai II. Audacis successoribus titulum Regium non denegant, usque ad tempora Boleslai III. Criwousti. Cum autem post Boleslai III. obitum fuisset regnum in quatuor partes discerptum, tùm demum eos Duces regni Poloniæ appellare incipiunt, Imò tantùm abest, ut Vincentius Kadlubko post excessum Boleslai II. memoret; Wladislaum Hermannum abstinuisse Regio nomine, ut potius producat literas ejusdem ad Patres Cœnobii S. Ægidii in Provinciâ Galliæ, inquibus se Wladislaus Regem appellat *lib. 2. Epist. 23. p. 188. Itaque ex Kadlubkonis ejusque Commentatoris*

(4.) *Antiqui Poloniæ Scriptores meminere regii tituli etiam ante Boleslaum. I.*

(5.) *imo etiam exteri scriptores.*

tatoris sententia Poloni habuere Reges usque ad Boleslai III. Crivousti excessum, nec Otto III. Boleslaum creavit Regem, sed honoris tantum gratiâ, ut Regem adeò potentem sibi conciliaret, ei imperiale diadema suum imposuit. Non multum ab eâ sententiâ abiit *Andreas Maximilianus Fredro, Castellanus Leopoliensis,* postea verò Podoliæ Palatinus, qui itidem negat Ottonem III. Boleslao nomen Regium *contulisse, aut eum creasse Regem: Sed tantum per humanitatem* Boleslaum more occidentalium Principum appellasse *Regem, quo titulo* postmodum bono jure uti cœpisse Boleslaum, non, quod eo *ad Principatus* Majestatem opus haberet: sed quod quemque Christianum *Principem Regem* vocari debere crederet, *in Fragment. Polit. pag. 151. Nec multò post Hartknoch:* Nam & *Helmoldus lib. 1. Chron. Slav. cap. 15.* Boleslaum I. Chrobri Regem Christianissimum appellat. Neque Helmoldus abutitur significatione ejus vocabuli, ut existimat non nemo: sed exquisitâ notione Regis hìc utitur. Sic *lib. 1. Chron. cap. 1.* de Polonia dicit: *Quondam habuit Regem, nunc autem Ducibus gubernatur lib. 1. cap. 2. thesi 8. pag. 41. & 42.* Baronium refutat temporis ratio, dum ad annum 1000. rem gestam refert, cùm tamen Henricus demum imperare cœperit ab Anno 1002. Ut id notat *Otto Frisigensis lib. 6. cap. 27. Sigebertus Gemblacensis* initium imperii in eodem anno constituit, in *Chronographia* ad dictum annum pag. 591. Consentiente etiam hìc *Helmoldo lib. 1. cap.*

 16. num.

16. num. 1. Et cur hîc Romualdo vel Petro Damjano tanta fides sit habenda, silente Dithmaro, qui tamen judicio Conringii persecutus est Boleslai omnia satis accuratè, eumque omni exceptione majorem appellat. Porrò si Scriptoribus, qui ab Ottone III. collatum diadema fatentur, subscribendum, ut id imprimis ex antiquo Epitaphii Boleslao positi monumento vetustissimis literis & incomptis versibus, illique ætati maximè congruis, probat Lubienskii in Opere Posthumo *l. 2. fol. 315.* (Verba verò Epitaphii hæc sunt: ob famam bonam tibi contulit Otto coronam;) nihil hoc ipso decedet libertati Polonicæ, etsi id velit Conringius, his verbis: *Argueret etiam hoc Cæsaream auctoritatem, si esset verum, deberet Polonia beneficio huic Germanici Cæsaris grattas immortales.* Respondet hic celeberrimus *Beckmannus* & causam gentis nostræ doctissimo judicio ita agit: *Boleslaus Chrobrus Mieceslai filius, primus Regis titulum accepit, conferente Ottone III. Imperatore Anno MI. Unde Poloniam tunc temporis imperio Germanito tributariam fuisse colligunt: Quâ de re tamen cur dubitari possit ratio est, quia Principum Jus dignitates conferendi etiam extra subditos se extendit, Veluti Reges Angliæ & Hispaniæ alios Principes, Equites aurei Velleris & Periscelidis creant, quos tamen ideò pro subditis non habent. Extantq́ hodienum in Polonia titulo Principum imperii, Principes Lubomirscii, Radzivilii &c. citra ullam ab Imperio dependentiam: Otto Imperator igitur eodem modo potuit Regem Poloniæ creare, non verò Poloniam*

(6.) nec collatum diodema regium subjectionem denotat, probaturque id rationibus & exemplis illustratur.

am ideò subjectam habuisse, cap. 8. de Regno Pol. num. 2. pag. 677. Liceat verò hîc addere ipsorum jurispublici Germaniæ Scriptorum argumentum, quo Imperatores Romanos â subjectione Pontificis Maximi vindicant, in casu acceptæ â Pontifice coronæ Imperialis. Imperium, inquiunt, aut potestatem administrandi, Rex Romanus non accipit ex Coronatione, sed potius ex principum electione, & is, qui coronat, nihil novi Juris electo tribuit, sed quod tributum est, festivè magis, quam de necessitate significat. Ostendunt id *Thomas Michaël, de Jurisdictione Conclus. 3:* Sixtin. *de Regalibus lib. 1. cap. 4. num. 14.* Reinking *de regim. secul. & Eccles. l. 1. class. 3. cap. 8.* Conf. fusius Dissertatio Generalis de vero sensu regionum tributariarum. Libera ergò etiam erit â subjectione Polonia, etsi demus Boleslaum Regem ab Ottone coronatum. Quæ quidem omnia, etsi sufficientissimè deducta videantur, nostram tamen eamque novam hic addere liceat Conjecturam: *Boleslaum* nempe, quisquis is â Dithmaro intellectus fuerit, quem tamen plerique Polonum intelligunt, *non Regem creatum ab Henrico II. sed Equitem auratum factum*, verbis: *Boleslaus in die sancto, manibus applicatis,* miles *efficitur & post sacramenta Regi ad Ecclesiam ornato incedenti* Armiger *habetur. In undecimâ feriâ Regem magnis muneribus â se & â contectali suâ oblatis placavit, denique regiâ largitate his meliora ac multò majora cum beneficio diu desiderato suscepit, & obsides suos cum honore & lætitiâ remisit. Dithmarus lib. 6. pag. 175.*

(7.) Nostra conjectura, Boleslaum non Regem creatum sed in Equestrem ordinem receptu.

175. & 176. *Militis* verò Titulus apud Scriptores illius ætatis *Equestris dignitatis* in se notam continebat, ut id fusiùs demonstrat *DuFresne in Glossario suo ad vocem. Miles.* Docent verò Juris publici Scriptores, Equestrem dignitatē ipsam personam Equitis concernere, non verò regnum ejus aliquâ dependentiæ notâ afficere. Hinc Proverbio locus, *Nobilem nasci, Equitem creari*, probante id Mœnochio *Consilio 126. num. 36.* Idque in tantum verum est, ut nec Filius Regis Galliæ nec Imperatoris, qui Equites creant ipsi, nascatur Eques, demonstrante id Chopino *de domanio Franciæ lib. 3. Tit. 26. num. 3.* Conf. pluribus Limnæus *lib. 2. Jurispublici c. 5. num. 8.* Imò etsi Personam afficiat vinculo fidei ac amicitiæ, non tamen subjectionem inducit, adeò ut ipsi Imperatores & Reges sine præjudicio subjectionis se â Pontifice milites creari passi sint, ut est in *Ceremoniali Rom. lib. 1. sect. 5. & 7. Apud Odoricum Rainaldium Ann. 1204. n. 72. Ughellum Tom. 1. part. 1. pag. 267. Tom. 5. Hist. Francor. pag. 878.* Et in hoc sensu Abbas Stadensis vocem *militis* accipit: Henricus Rex miles factus *pag. 107.* Omnium itaque optimè ad veritatis mensuram & mentem nostram *Fabricius Dithmari* sensum sequentibus exprimit: *Diem Pentecostes Imperator solennem agit Mersburgi, ibidem Boleslaus Polonus, ipso die sacro insignia equestria accepit & auratus templum adiens, Imperatori jurat, & sacris interest. Amicitiâ sanctiùs confirmatâ, obsides Boleslao observantiæ causâ redditi & donis ipse est amplissimis cumulatus. Fuit ea Imperatoris humanitas, & benevolentia magno ipsi honori & Polonis gaudio atque lætitiæ. Decretum est etiam, ut conscriberentur Equites, qui illum in regnum comitarentur, & ejus stipendiis mererent &, contra quemcunque hostem eos ducturus esset. lib. 2. Originum Saxon. pag. 280.* Immemor sui Fabricius, aut prudenter se refellens, de equestri dignitate sermonem facit; postquam paginâ præcedenti diceret: Boleslaum pro se & filio Misicone titulum regium petiisse ab Henrico II. (quod alii ab Ottone III. factum volunt) simulque se imperii observantem & amicum fore promittens. Idem Fabricius, aut qui ex mente Fabricii sentiunt, justam censuram patiuntur Jonstoni, qui fabulam esse dicit, Membrum Imperii factum & quotannis tributo loco aliquid persolvisse. *T. 2. p. 231. 232.* Nec morari nos debet, Boleslaum *Armigerum* ab Imperatore factum. Solent, enim, in equestri ordine gradus dignitatis, alii eminentiores, alii mediocres, alii infimi esse. Meminit enim Vippo in *Vita Conradi* Salici, *Militum primi* ordinis *pag. 428.* Aliique Authores citati â Dü Fresne dicto loco *pag. 543.* Eòque magis Boleslai præ aliis vicinis Principibus ac Regibus Christianis existimatio elucescit, quod primam ipsi dignitatem contulerit Imperator. Armigerorum, enim, summa olim fuit dignitas, ut qui primas tenerent in Regum aulis, & nonnunquam ad regalem ipsum apicem eveherentur. Jornandes *de Rebus Geticis cap. 58.* Nam & *Thiodum* suum Armigerum, post

post mortem *Alarici* generi, tutorem in Hispaniæ regno Amalarici Nepotis constituit. *Et cap. 60.* Quod Gothorum exercitus sentiens suspectum *Theodatum* clamitat Regno pellendum, & sibi ductorem suum *Witigem*, qui *Armiger* ejus fuerat, in Regem levandum, quod & factum est. Vid. Spatharius. Atque ii perpetuò Principis lateri adhærebant. Sidonius *lib. 2. Epist. 2.* Circumsistit sellam (Theodorici Regis) Comes Armiger. Conf. *Du Fresne ad voc. Armiger.*

§. XI.

An Boleslaus ob munera Ottoni III. oblata tributarius dicendus.

Quàm imbelle verò jam Argumentum sit *à muneribus oblatis*, ex præcedentibus patet, si â munerum oblatione Imperatori à Boleslao factâ illud peteretur. Disertim enim verbis Authores præfati scripsere, non Boleslaum tantùm Ottoni & Henrico, sed Imperatores etiam vicissim reciproca Boleslao munera obtulisse. Placet per compendium hîc Imperatoris Boleslaum alloquentis verba à Cranzio citata allegare: *Ostendisse nobis animi tui magnitudinem & obsequii diligentiam, tibi nobisq; gratulamur. Ideo te evocavimus in hunc cœtum Principum, ut vicariâ te remuneratione decoremus. Regium tibi nomen damus & honorem, & te Romani Imperium socium, amicumq; Cæsareæ Majestatis ex hoc die ascribimus. Et hæc dicens, coronam capiti ejus imposuit. Deditq; Imperator Boleslao Regi pro Regalibus insignis lanceam Beati Mauritii, & clavum Domini. Hæc autem regalia insignia, corona scilicet & Sceptrum, & lancea, ad multa*

ta tempora in armariolo Cracoviensis Ecclesiæ ad memoriam posterorum conservantur. Rex autem Boleslaus ob reverentiam Imperialis dignitatis & in pignus alternæ amicitiæ & devotionis, donavit Imperatori brachium divi Adalberti Martyris: quô assumptô ad propria ille reversus est lib. 2. cap. 36. à num. 5. usq; ad 15. pag. 47. Reciproca ergò utriusq; submissio, aut nulla statuenda Boleslai. Silent veteres sub titulo & naturâ Tributi, munera tùm oblata. Recentiores verò variant, dum alii à Tributo liberatum Boleslaum volunt, alii tunc Tributarium factum referunt, quorum posteriorũ causam agit *Cureus pag. 34.* nullô certô fundamento, ut supra ostensum & imprimis dissertatione *de sensu regionum Tributariarum* probatum: munera oblata nullam in se habere subjectionis notam. Conf. Beckmannus *Polit. Parall. cap. 20. Thesi 3.* Incauti tamen in eo Scriptores Poloni esse videntur, dum Boleslaum à tributo absolutum fuisse fatentur. Ita *Mathias Michovius*, *lib. 2. cap. 4. scribit. A suâ suorumq; successorum Romanorum Imperatorum & posteros ejus Reges Poloniæ perpetuò absolvit. Gvagvinus ab omnibus Tributis & obsequiis Romanis Imperatoribus pendendis, Posteros ejus omnes in Regno sibi succedentes immunes fecisse refert, folio 18.* Ipse *Cromerus* Boleslaum ab Imperatore Regem factum appellat, sociumque & Amicum Rom. Imperii, & omni jurisdictione Imperatorum immunem *lib. 3.* Idem refert *Neugebauer lib. 3. cap. 53.* *Conringius* hîc, etsi

An ob liberationem à tributo, olim tributaria fuit Polonia.

V displi-

displiceat illi, Boleslao tantum honoris à Poloniæ scriptoribus collatum, confessionem tamen ipsorum in præjudicium subjectionis pristinæ torquet: *Utut sit*, inquit, *si immunis à tributo & omni Cæsarea jurisdictione factus est* Boleslaus Ottonis *beneficio, obnoxius illi fuerit, ante necessum est.* Adeoq; ipsomet Polonorum judicio „intelligimus, subjectû antehâc fuisse Boleslaum Cœsari, quod tamen ipsi Polonici „Scriptores studeent dissimulare. *Cap. 18. p. 244.* Beckmannus judiciosissimus Scriptor, Poloniam à Tributô & subjectione liberam agnoscit, sed incautam loquendi rationem à Polonis adhibitam fuisse animadvertit: *in notitiâ dignatum differt. 1. cap. 1. §. 7.* Pace verò & consensu Viri istius Celeberrimi præsumpto, causam hîc agere liceat Polonicorum Scriptorum: Impropriè nimirùm dici liberatam à Tributo & Jurisdictione Poloniam, quam nunquam sub Tributo aut aliâ Subjectionis specie Imperatoribus Rom. serviisse, validis jam supra firmatum argumentis. Tum à regni limitibus ab Imperatoribus invasis & occupatis, leve ac infirmum esse documentum, ad subjectionem Totius Regni deducendâ iteratis sœpe etiam evictum Rationibus. De quo argumento etiam ad rem & appositè Cromerus: *Neq; vero*, (ait de Scriptoribus rerum Germanicarum) *Polonos, Principes cuiquam omninò Imperatori Rom. unquam Tributarios fuisse isti vestutioribus & fide dignis Testimoniis aut argumentis docere*

cere possunt; sed cum partem aliquam Poloniæ Germani, seu per deditionem seu vi cepissent, universam se Poloniam subjugasse jactarunt. Hoc unus aliquis ab aliis auditum vel ne auditum quidem fortassis postea literis mandavit, quem cœteri secuti sunt: L. 4. de Orig. & Reb. Pol. Gestis pag. 45. Penitiùs verò fines regni Poloniæ à Boleslao prorogatos inspiciamus, faciliùs ita finem controversiæ constituturi. Revocandus hîc in præsidium Helmoldus, quem ita disserentem audivimus: *Bolislaus Polonorum Christianissimus Rex, confœderatus cum Ottone III. omnem Slaviam, quæ est ultra Oderam, tributis subjecit.* Ad mentem itaque Helmoldi id mihi conjicere liceat: Boleslaum, non qua Regem Poloniæ, sed qua Possessorem novarum terrarum occupatarum, quæ olim Imperatoribus vectigales erant, controversiam tributi pendendi ab Ottone III. & Henrico II. expertum fuisse, aut experiri potuisse. Neque quicquam prohibet, non modò eum, qui Senioris ac Principis unius ditioni subjectus est, alteri Principi prædiorum caussa, quæ in ipsius finibus habeat, hominium illud præstare: verum etiam Regem alteri Regi, ac principi, vel pari, vel inferiori: cujus rei passim exempla extant in *Chron.* velut *in Annal. Britan. lib. 4. cap. 92.* ubi Dux Britanniæ, qui tunc Regulus erat, Galliæ Regi propter Comitatum Montfortianum fidelitatem jurat. Item in *Chron. Dionysiac. cap. 33.* sub Carolo V. Rex Navarræ Galliæ Regi hominium fecisse dicitur, & fidelitatem jurasse, possessionum

Boleslaus non respectu Poloniæ sed occupatarū Provinciarū tributarius.

num earum nomine, quas in Galliæ finibus habebat. Item apud Theodorum *Nihem. lib. Histor. 2. cap. 25.* ubi scribit, Delphinatum Galliæ Regi eâ lege condonatum, ut Primogenitus Regni principatum illum tanquam Vasallus imperii teneret in feudum, & inde Delphinus vocaretur. Item apud Anton. Florentinum *hist part. 2. tit. 17.* & sæpe in nostris Annalibus memoriæ proditum est, Regem Angliæ possesionum quarundam nomine, quas in Galliæ finibus habebat, hominium & fidelitatem Regi Galliæ jurasse. Eodemque pertinet, quod Ulp. scribit in *l. 4. §. 2. D. de cens.* eum qui alterius civitatis civis est, dum illius prædia possidet, eorum prædiorum nomine tributum ei civitati debere, cujus in territorio illa sunt prædia. Istis jam ab Hottomanno deductis argumentis *Quæst. illustr. 34. p. 269. & 270.* tanquam munimentis utimur contra illorum insultus, qui præstitum forte à Regibus Pol. regionū occupatarum causâ, tributū in notam amissæ aut saltem imminutæ libertatis vertunt. Verùm reclamare opinioni nostræ videtur adversariorū agmē, pertinace magis quam justâ ac verâ sententiâ; nempe libertatem â Tributo pendendo Boleslao concessam Regni statū afficere. Sufficienter jam hæc explosa, nec ultra laborabimus opinionem hanc inanē argumentis elidere, cùm ipsa rei vanitas se refellat. Demus verò & hîc locū conjecturæ partis adversæ; exiguum sanè est ejus robur ad evertendā Poloniæ libertatem. Ut enim inter privatos renunciationibus locus est, non solùm in juribus

juribus existentibus, sed & in iis, quæ nec extiterunt, nec in præsenti sunt, nec sperantur, & animo tantùm renunciantis concepta habentur, ex communi JCtorum sententiâ, cujus justitiam probant Gvid. *Pap. Quæst. 147.* Afflict. *decis. 350.* Capic. *decis. 129.* Andr. Gail. *L. 2. Obs. 48.* Ita Principes clausulis renunciatoriis ac liberatoriis, securitati jurium suorum cavere solent, ad præscindendas Prætensionum lites, non quòd illæ semper jure fundatæ sint, sed quòd apparenti tantùm nitantur justitiâ & veritatis aliquam speciem exprimant. De Regibus Franciæ constans est apud Gallos Persvasio; ipsos ab omni semper ætate â Pontificum imperio ac Potestate liberos fuisse: Nec præjudiciū pristinæ subjectionis inferre posse creditur repertū in Archivis Francorum Clementis V. Pontificis rescriptum, quo non modò Philippum Pulchrum ab interdictione Bonifacii VIII. purum, verùm etiam ab omni Pontificum Potestate ac imperio Liberum esse, pronunciatur, referente id Bodino. *Lib. 1. de Republica c. 9. pap. 219. & seq.* Eo itaque fine & à Regibus nostris impetrata & ab Imperatoribus declarata liberatio; ut esset inconcussum libertatis non recuperatæ sed confirmatæ præsidium; nullâ inposterum, vel ex prætensionum vanitate, metuendâ pacis rupturâ. Salvâ verò jam redditâ sententia hâc; *liberatam â Tributo pendendo Poloniam:* quo jure renunciatæ ac remissæ tunc Prætensiones revocari & succedentibus Imperatoribus causam belli in Polonos movendi præbere possint,

An clausulæ renunciatoriæ signum sint pristini juris.

posſint, Boxhornii ſtet ſententia arbitrio. *Renunciatio eſt tranſcriptio occaſionis omnis & juris; eòq; qui ſatisfieri ſibi patitur, eum ſemel unum quid accipere & interim in offerendis poſt longè melioribus occaſionibus omnia amittere, nullâ exequendi aut exigendi juris materie relictâ.* judicat in *Diſquiſ. Polit. cap. 20. pap. 47.*

Si renunciatum juri in Poloniam; an ab Imperator. revocari poteſt.

§. XII.

Ultimus tandem impetus è Dithmari armamentario expectandus, Conringii arte ac induſtria in evertendam Poloniæ libertatem directus; argumento poteſtatis imperatoriæ in Poloniam, ex jure Majeſtatis circa ſacra, de prompto. Dithmarus enim, poſtquam religioſum Ottonis III. in Poloniam iter narraſſet, ArchiEpiſcopatus Gneſnenſis primordia Ottoni tribuit ſequentibus verbis: *Nec mora fecit ibi ArchiEpiſcopatum, ut ſpero legitimè, ſine conſenſu tamē præfati præſulis, cujus diæceſi omnis hæc regio ſubjecta eſt, committens eundem prædicti Martyris fratri Radimo, eidemque ſubjiciens Reinbernum Sanctæ Cholbergenſis Eccleſiæ Epiſcopum, Papponem Cracuenſem, Johannem Wiotislaenſem, Ungero Poſnanienſi excepto, factoque ibi altari ſanctas in eo honorificè condidit reliquias. L. 4. p. 84.* Baronium hic ſuo ſenſu abūdare patior, dum hæc ſubjungit verba *ad A. 999. n. 13. Porro cum audis tot ſacra munia exhibita ab Imperatore; ſcias male ipſi ut Auctori eſſe tributa, quæ Legatus à latere cum eo miſſus Archidiaconus Cardinalis S. R. E. ſuâ auctoritate facienda curavit.* Diſplicent hæc Baroniana *Conringio p. 241.* Nec fidem mereri vult Bzovium, qui, *Otto* inquit n. 13. *præſente adeoque conſentiente Legato ſedis Apoſtolicæ S. R. E. Archidiacono Cardinali tum regium diadema Bolislao dedit, tum Archiepiſcopalem dignitatem Gneſnenſi Eccleſiæ conceſſam non irritavit, namq; eo tempore Gneſnenſis Eccleſia Metropolitana dignitate ornata non fuit.* Nova hæc ſunt, *addit Conring.* unius Bzovii Commenta. Adfuiſſe aliquem â latere Legatum & circa Epiſcopum Gneſnenſem aliquid actum â Baronio acceperat, â ſuis, Bolislao diadema ab Ottone collatum; Conſenſum Legati acceſſiſſe ad Regii diadematis collationem, item non irritam reddidiſſe Ottonem Archiepiſcopalem dignitatem: quæ ſunt Bzoviana. Illa verò, Eccleſiâ Gneſnenſem fuiſſe tum ornatâ Metropolitanâ dignitate, & dignitatē tamen illam jam anno 65. cæpiſſe, quod idem prodit, vel ut hic loquitur fuiſſe jam Eccleſiæ Gneſnenſi commiſſam, ſibi mutuo adverſantur, & falſimoniæ ſeſe coarguunt. *Huc uſq; Conring.* Opponamus vero Dithmaro ſolidam ejus refutationē à *Lubienskio* deductam, cujus tam aperta eſt veritas, ut Lectorem in partes noſtras illicò pertractū fore nullū ſit dubiū. Ita enim Vir diſertus rem exponit Oper. poſth. p. 311. verb.

An Otto III. jus Maj. circa ſacra in Polon. exercuit.

„ Non me movet Dithmari & Petri Damiani â
„ Cardinali Baronio allegatorum Scriptorum Au-
„ ctoritas. Namque Dithmarus tot falſis narra-
„ tionibus farſit ſuam Hiſtoriam, ut ei, uti nomi-
„ nis Poloni Oſori fides haberi non poſſit. Ac
„ ut cœtera taceamus, quis unquam credet, Bo-
„ leslao demum Principe, Archiepiſcopum Gneſ-
„ nenſem eſſe conſtitutum, cùm parietes ipſi lo-
„ quantur, ab Ægidio Epiſcopo Tuſtulano Cardi-
„ nali

„ nali, auctoritate Johannis decimi tertii, Summi „ Pontificis, propè quadraginta ante, quàm Otto „ Imperator in Poloniam venisset annis, ita sta- „ tum Ecclesiasticum formatum fuisse, ut & Gnes- „ næ ac Cracoviæ essent Archiepiscopi, & reliquas „ Cathedras tenerent Episcopi, ac Sanctus ille „ Adalbertus ab omnibus Scriptoribus Gnesnen- „ sis Ecclesiæ Archiepiscopali dignitate fuisse or- „ natus perhibeatur. Et Petrus Damiani, qui „ propè sexagesimo anno à susceptâ per Boleslа- „ um Regiâ coronâ vixit, quamvis Vir magnus & „ pius fuerit, tamen dum res externas, & longè „ ab Italiâ remotas scribere aggreditur, in multis „ falli & decipi potuit. Ut in eo, cum referente „ Baronio scribit, Boleslaum Regem, quendam „ Monachum Ordinis Camalduensium, ad sum- „ mum Pontificem petendæ coronæ Regiæ causa „ ablegasse, cujus ne nomen idem refert, nec ex „ quo Monasterio prodierit, significat. (Sequi- tur hîc cumulus errorum, quorum convictos sistit autores antiquos.) Sed Dithmarus „ quam turpiter erret, dum Imperatoris ad „ Gnesnam accessum refert, audiamus. Videns, „ inquit, à longè Gnesnam urbem desideratam, „ nudis pedibus suppliciter advenit, & ab Episco- „ po ejusdem Ungero venerabiliter susceptus, in „ Ecclesiam introducitur & ad Christi gratiam, „ sibi impetrandam Martyris intercessio profusis „ lachrymis invitatur. Sistamus hic paulisper „ stylum, & ex Dithmaro quæramus, cujusnam „ Urbis Episcopus, fuit Ungerus? respondebit „ ille

„ ille paulo inferius, hunc Posnaniensem Episco- „ pum fuisse; cur igitur Gnesnæ illum adscribit, „ cùm tum Radinum Divi Adalberti germanum „ fratrem Archiepiscop. Gnesna habuerit? Seri- „ es veræ Historiæ ita habet: Boleslaum Princi- „ pem, Advenienti Ottoni Romanorum Impera- „ tori Cognato suo, Posnaniam usque obviam „ ivisse, ibi Ottonem & à Principe, & ab Ungero „ Episcopo Posnaniensi honorificè exceptum, „ tantam venerationem sepulchro Divi Adalber- „ ti habuisse, ut per septem germanica milliaria „ (tot enim Gnesna Posnaniâ distat) viis panno, „ jussu Boleslai, constratis, tantum itineris spati- „ um nudis pedibus confecerit. Sed pergit de- „ inde Dithmarus. Nec mora, fecit ibi Archi- „ episcopatum, ut spero legitimè sine consensu „ tamen Præfati Præsulis, cujus Diœcesi omnis „ hæc Regio subjecta est, committens eundem „ prædicti Martyris fratri Kadimo (Radinum re- „ ctiùs dixisset) eiq; subjiciens Reinbernum San- „ ctæ Cholbergiensis Ecclesiæ Episcopum, Poppo- „ nem Cracuensem Johannem Vujoteslaensem, „ Ungero Posnaniensi excepto. Factóq; ibi altari „ Sanctas in eo honorificè reliquias condidit. So- „ mniare videtur, nescio quas tricas, istebonus „ & de re sibi ignotâ texit fabulâ, dum & Archi- „ episcopû & aliquot Episcopos, corruptis, & in Po- „ loniâ vix auditis nominib9, ab Ottone nobis da- „ tos temerè fingit, quos & plures alios, Summi „ Pontificii Johannis decimi tertii auctoritate cô- „ stitutos jam dudû habuimus. *Hactenus Lubienski*

X Fate-

Fatetur etiam Curæus, Scriptor Germanus, sub Miczeslao I. jam fundatum Episcopatum verbis sequ. *Magna liberalitate Principis, constituta sunt decẽ Collegia in Polonia, ex quibus Gnesnensi præfecerunt ArchiEpiscopum, qui esset præcipuus Gubernator Ministerii in toto regno pag. 31.* Saxonici Scriptores Dithmari adulatione, (qua ab Ottone legitime id factum scribit) non contenti dissensum suum sequentibus rationibus illustrant. *Hanc ergo urbem (Gnesnam) devotus Imperator occurrente sibi loci Episcopo nudis pedibus intravit, & post lachrymosam ad S. Adelbertum Orationem nova illum institutione, id est ArchiEpiscopatus in eodem loco fundatione, sed* non legitimâ, *honoravit. Nam tota hæc provincia unius Posnaniensis Episcopi erat parochia & ipsa cum omnibus futuro tempore illic fundatis Episcopatibus auctoritate Primi Ottonis Imperatoris & Pontificum Apostolicæ sedis, Metropolitano Magdaburgensi ArchiEpiscopatui fuerat subjecta. Hanc ergò sine utrorumq; Episcoporum consensu, iste Imperator in quinq; dividens Episcopatus, in ipsa Urbe Gvezi Gaudentium beati Adelberti germanum consecrari ArchiEpiscopum fecit eiq; tres alios Episcopos in tribus locis id est* Slatzcholberg/ Crackowe/ Wortitzlawe *ordinatos subjecit. Posnaniensem verò Episcopum non assentientem priori suo juri & Magdeburgensis ArchiEpiscopi subjectioni reliquit.* Autor *Chronic. Magdeb. p. 280. in med.* Fabric. *de Orig. Sax. L. 2. pag. 229.* In eo verò summus error latet quod Magdeburgico ArchiEpiscopo Posnaniensem & omnes in Polonia Episcopatus subjiciat. Audia-

Audiamus hic Historiæ Ecclesiasticæ Slavicæ Commentatores fide dignissimos, quibus principalis in argumento hoc digne deducendo cura fuit ac industria. Refert enim Adamus Bremensis, quinam Episcopatus in Slaviâ Magdeburgensi fuerint subjecti *L. 2. c. 7. & 8. his verbis*: *Ipso tempore Magnus Otto subjugatis, Christianæq; fidei copulatis Slavorum gentibus inclytam urbem Magdeburg super ripas Albiæ fluminis condidit, quam Slavis Metropolin statuens, Adalbertum Summæ Sanctitatis Virum ibidem consecrari fecit ArchiEpiscopum. Is primus in Magdeburg ordinatus XII. annis strenuè pontificatum administravit, multosq; Slavorum populos prædicando convertit. Cujus ordinatio facta est anno Imperatoris & nostri Episcopi XXXV. & sunt post ordinationem Ansgarii CXXXIII. Magdeburgensi autem ArchiEpiscopatui subjecta est tota Slavonia usq; ad Penem fluvium. Episcopatus suffraganei quinq; quorum Mersburg, & Licia super Salam flumen condita, Misna vero super Altiam, Brandenburg & Havelberg interius vadunt. Sextus Episcopatus Slavoniæ est Aldinburg, quem quia nobis vicinior est, Imperator Hamburgensi ArchiEpiscopatui subjecit; ibiq; Archiepiscopus noster Edwardum primum ordinavit Episcopum, quem latinè dicimus Evagrium.* Helmold. *L. 1. c. XI.* Nulla Polonicarum Ecclesiarum, apud ipsos Polonici nominis non ignaros, mentio. Imo terminus jurisdictionis ArchiEpiscopatus Magdeburgensis, qui ponitur *Penis* fluvius, in mare barbarum currens, ut loquitur Bremensis, sufficienter innuit, in Polo-

niam jurisdictionem Ecclesiasticam ArchiEpiscopo Magdeb. nullam fuisse. *Penem* enim s. *Panem* dictum, fluvium esse Pomeraniæ & in mare Balthicum, quod Bremensi dictum barbarum, se exonerare, vel ex ipsis Geographicæ Eruditionis rudimentis constat. Nec etiam à Successoribus Ottonis Gnesnensem ArchiEpiscopatum Magdeburgensi unquàm subjectum fuisse, memorant dicti Auctores, quibus tamen præcipuum in enarrandis omnibus Ecclesiarum Slavicarum incrementis & decrementis fuit studium.

§. XIII.

Conradus II. & Misico II. succedunt: An hic ab illo subactus quæritur.

Henrico II. Imperatori & Boleslao Polono idem aut non longè à se invicem distans vitæ supremus terminus fuisse refertur, Annus nimirùm 1025. In Imperio Rom. *Conradus II.* In Poloniæ vero Principatu *Misico II.* successorum seriem Imperantium ornant. Novum hîc Athletam sistit Conringius, *Wipponem Conradi* scri-„ ptorem Coævum: Ita enim iste: Eodem „ anno, quem supra notavimus, Bolislaus Slavige-„ na Dux Polonorum insignia regalia & regium „ nomen in injuriam Regis Conradi sibi aptavit, „ cujus temeritatem cita Mors exinanivit. Fili-„ us autem ejus Misico similiter rebellis Fratrem „ suum Ottonem, quoniam Regis partibus fave-„ bat, in Ruhhiam Provinciam pepulit. Quali-„ ter verò ejusdem Misiconis protervitatem & „ cujusdam Udalrici Ducis Bohemiæ perfidiam

Affirmant Wippo.

„ Conra-

„ Conradus postea compesceret, in loco suo di-„ cam: pag. 431. *Nec multo post ait.* Dum Odo „ Comes hæc in Burgundia faceret, Cunradus „ Imperator in Sclavoniâ cum armis fuerat. Quæ „ ibi ageret, vel qualiter postea Odonem repu-„ lisset de Burgundia, consequenter dicam. Su-„ pra dictus Boleslaus Dux Polanorum mortuus, „ reliquit duos filios, Misiconem & Ottonem. „ Misico, dum fratrem suum Ottonem persequere-„ tur, expulerat eum in Rusſiam. Dum ibi ali-„ quantum tempus miserabiliter viveret, cœpit „ rogare gratiam Imperatoris Conradi, ut ipso „ Imperante & juvante restitueretur Patriæ suæ. „ Quod dum Imperator facere vellet, decrevit, „ ut ipse cum copiis ex unâ parte, ex alterâ frater „ Otto Misiconem aggrederentur. Hunc impe-„ tum Misico ferre non valens, fugit in Bohemi-„ am ad Udalricum Ducem, cui tunc temporis „ Imperator iratus fuerat. Sed ille, ut sic placaret „ Imperatorem, voluit sibi reddere Misiconem: „ quod pactum sceleratum renuit Cœsar, dicens, „ se nolle inimicum emere ab inimico. Otto „ restitutus Patriæ, & Dux factus à Cœsare, dum „ post aliquod tempus minus cautè ageret, à quo-„ dam familiari clam interfectus est. Tunc Mi-„ sico omnibus modis quærebat gratiam Impe-„ ratoris. Cœsar misericordiâ motus dedit sibi „ veniam, & divisâ provinciâ Bolanorum in tres „ partes, Misiconem fecit Tetrarcham: reliquas „ duas duobus aliis commendavit: sic imminutâ „ potestate minor facta est temeritas. Defuncto „ Misicone, Casimirus filius ejus fideliter serviebat

„ huc

„ huc usque Imperatoribus noſtris. pag. 438. Addamus illi Godofredum Witterbienſem, numero ita aucturi adverſarum partium agmen.

Gotofredus Viterbienſis.

„ In principio regni ſui Dux Polonorum Boleslaus, quem Prædeceſſor ſuus Henricus noviter „ regno ſubjiceret, per ſe ipſum rex revocari intendit, & ab Imperio dividi omnino proponit; „ qui cum morte propoſitum præveniſſet, Miſiconem filium ſuum, Succeſſorem relinquit. „ Ille dum pattem imitari cogitat, & inſuper „ fratrem ſuum Othonem à patria expuliſſet: „ Rex tam expulſum ejus fratrem in patriam reducturus, quam de Contumaciâ Miſiconis ſe „ & regnum vindicaturus, in Poloniam tranſit. „ Miſico cùm non poſſet reſiſtere, ad Ulricum „ Bœmorum Ducem (qui etiam tunc hoſtis Imperii erat, confugit. Quem cum Ulricus regi „ reddere, & per hoc in gratiam cogitaſſet redire, Rex eum ſub perfidia illiusmodi recipere „ contempſit. Miſico autem accepto à Rege Ducatu Poloniæ, coronam, quam pater ejus ſibi „ imponere contra imperium cogitaverat, Conrado reſignavit, ſeq; ditioni ſuæ ſuppoſuit. Ipſe „ verò Miſico poſt hæc à ſuo armigero occiſus eſt. „ Ab illo tempore Provincia Polonorum imperio „ noſtro ſolvit tributum. Chronic. parte 17. p. 485. Conf. *Otto Friſingenſis. L. 6. c. 28.* Sequitur eos pro more ſuo *Mutius*, omnê arripiens occaſionê ampliandæ, etiam cum injuriâ aliarum gentium Imperii Rom. gloriæ. lib. 14. p. 111. idem tradit *Aventinus L. 5.* Bojor. *p. 649.* Verùm & hunc

Mutius aliique.

hunc nodum Gordium diſſecuit Cromerus. „ Dum Longè, *inquit*, aberraſſe à verò videntur. „ Nam neque Conradus imperium vivente Boleslao adeptus eſt; neque Boleslaus præter „ Mieceslaum ſive Meſconem alium filium habuit: neque diadema regium ille ipſe Boleslaus „ temerè uſurpavit, ſed ab Ottone Tertio Imperatore ultrò oblatum accepit, atque poſteris reliquit: neque Conradus, compluribus aliis externis pariter ac civilibus bellis diſtentus, otium ad proſequendos bello Polonos habuit: neque verò Polonos Principes cuiquam omnino „ Imperatori Romano unquam tributarios fuiſſe, iſtive juſtioribus & fide dignis teſtimoniis „ aut argumentis docere poſſunt. Sed cùm partem aliquam Poloniæ Germani, ut ſuperiùs meminimus, ſeu per deditionem, ſeu vi cœpiſſent „ Univerſam ſe Poloniam ſubjugaſſe jactarunt. „ Hoc unus aliquis ab aliis auditum, vel ne auditum quidem fortasſis, poſtea literis mandavit, „ & cœteri ſecuti ſunt. *Gallus* quidem, qui non „ ita multò poſt hæc tempora Boleslai Tertii & „ ſuperiorum regum Poloniæ res geſtas tribus „ libris complexus eſt, nullam neque de fratre „ Meſiconis, neque de ullâ Conradi hujus Imperatoris expeditione in Poloniam facit memoriam, ac ne Lambertus quidê Schaffnaburgenſis, „ aut Hermannus Contractus, quamvis propinquiores etiam illis temporibus, nec indiligentes eorum, quæ ad gloriam Germanicæ nationis pertinebant. Hermannus quidem Luiticos, „ quos

Refutantur à Cromero & aliis ſcriptoribus Polonicis.

„ quos eosdem Vilſos à Crantio vocari video, „ Slavos ſcilicet, citra & ultra Panim fluvium ha- „ bitantes, non præteriit, quos cum Urbinam „ Caſtellum in Confinio Saxoniæ intercepiſſent, „ à Conrado devictos & vectigales factos eſſe me- „ morat. lib. 3. de Rebus Pol. pag. 67. Subſcri- bit Cromero Sarnitius *lib. 6. p. 227.* Quæ quidem tam clara & perſpicua ſunt, ut nullo Interprete opus habeant; Non inutilem tamen me præſti- turum operam ſpero, ſi redactis in ordinem ar- gumentis à Cromero deductis, novisque ſuperad- ditis, ipſum Wipponem & ejus Aſſeclas igno- rantiæ in rebus exteris convictos ad noſtras par- tes pertraxerimus. Vult quippe *Wippo*, *Miſico- nem* Polonum habuiſſe *fratrem Ottonem* ap- pellatum, cum quo de regno controverſia inter- ceſſit. Unde belli cauſa orta. Verùm fratrem illi *Ottonis* nomine inſignitum unquàm fuiſſe, nec patriis nec Bohemicis aut aliis exteris monumen- tis fide dignioribus demonſtrari poteſt. *Dithma- rus* enim Wipponis ætate ſuperior tradit, Miſiconi noſtro fratrem non *Ottonem* ſed *Dombremirum* ab Avo lineæ Maternæ (de cujus Genealogiâ præ- ſens ventilatur controverſia.) ita dictum fuiſſe *lib. 4. pag. 91.* Aſt *Otto*, eodem teſte Dithmaro, *Oddæ Uxoris Boleslai* (qui Pater Miſiconis erat) frater fuit. Impoſuit fortè legenti Dithmarum Wipponi hæc relatio: *Transactis 4. diebus Odda Ekkikardi Marchionis filia à Boleslao diu jam deſi- derata & per filium ſuimet Ottonem hunc vocata*

Argumenta in Ordinem redacta & nova ſuper addita. Refut.

(1) Miſiconi Polono nullus frater Otto dictus fuit cum quos lis interceſſit.

Zizam

Zizam venit. *Lib. 8. initio p. 232.* Verba, *ſuimet fi- lium*, non ad *Boleslaum* ſed *Ekikardum* referenda, adeò ut *Otto* non illius ſed iſtius filius habendus ſit. Nec nos moratur barbaries loquendi, *ſui- met filium*, quæ tum temporis Germaniſmum ſapiens maximè invaluit. Fabricius ergo eun- dem *Ottonem* diſertis verbis fratrem *Oddæ* appel- lat, *lib. 2. Originum Sax. p. 310. ad annum 1019.* Qui poterit idem eſſe frater Miſiconis filii Boleslai? Sanè res hæc rationi ita adverſa eſt, ut fabulam ſapiant anilem Wipponis narrata. Meretur por- rò virgulam prætoriam Wippo, dum eadem *Con- radi Salici* Ætati immiſcet, quæ *Dithmarus* teſtis antiquior in tempora *Henrici II. collocat.* Narrat enim Dithmarus Miſiconem hunc ad *Oltheric̄um (idem qui Uldaricus)* Bohemum tranſiiſſe, fir- mandi fœderis ergò, contra Imperatorem Henri- cum II. ſed captum àb infido Bohemo Impera- toris clementiâ liberatum fuiſſe *pag. 189.* De *Ot- tone* verò idem Dithmarus ſeqq. *Hodo (ſeu Otto) Marchio ab Imperatore miſſus contra Miſiconem à ſuis longè digreſſus, cum hoſtes ſolus fugientes inſe- queretur, ſagitta per caput immiſſa primo oculum & poſt vitam perdidit. lib. 7. pag. 193.* Sequitur eum Fabricius *lib. 2. pag. 293.* Quâ fronte jam *Wippo eundem Ottonem, cum minus cautè ageret clam interfectum*, *Miſiconis fratrem* fuiſſe affirma- re auſus ſit, ingenui lectoris judicium eſto. Cœ- terùm *Scotus Conrado coævus*, ut ipſe fatetur, nul- lam expeditionis in Poloniam facit mentionem. Reliqui Hiſtoriæ Slavicæ Compilatores mitiùs ſen-

(2.) à contrad: idem Otto & filius Boleslai & uxoris Boleslai frater fuerit neceſſe eſt.

(3.) Errat Wippo in male locatâ temporis ratione.

(4.) Coævi Scriptores ſilent.

 tiunt

tiunt; nec ex illorum annalibus jactura libertatis Poloniæ metuenda. Ita enim *Abbas Stadensis*: *Conradus Imperator Polanos & Regem eorum Misungum magnâ cum virtute perdomuit, & auxiliatores ejus Bohemos, cæterosve Slavorum Populos sub tributum misit, ad annum 1027. pag. 116.* Iisdem verbis rem gestam descriptam habet *Adam Bremensis lib. 2. cap. 39.* Gobelini Personæ verò relatio verbis, non sensu differt, *Conradus*, ait, *Misaconem Ducem Poloniæ partes Orientales vastantem subegit anno regni sui 7. ætate 6. cap. 53. pag. 260.* Ex istis itaque Authoribus id cum *Bangerto* concludere liceat, *Misiconem* quidē tanquam Slavorū, qui Lutitii dicuntur *socium*, ab Imperatore repressum, sed non tributarium factum; verùm Lutitios jam antea Imperatori subjectos, in pœnam rebellionis, aucto Tributi onere mulctatos fuisse. in Comment. ad *Helmoldum lib. 1. cap. 19. pag. 58.* Jam verò jure Gentium docemur; absolutô bellô, si ob auxilia suppeditata Misico jure libertatis privandus esset, expressis pactis vel novâ indictione ad Arma Misiconi inferenda, eundemque vi armorum opprimendum opus fuisse, demonstrante id Grotio *lib. 1. cap. 3. thesi 5. num. 4. & lib. 3. cap. 3. thesi 10.* Silent verò Annales eundem, finitô bellô auxiliari, ab Imperatore lacessitum vel etiam subactum esse. Tandem ad Bohemorum cùm Patriis Scriptoribus convenientem nos conferamus Relationem, non iniquam, nec planè rejiciendam. Testantur utrique, Miseconem hunc Principem hebetem ac tardum, per segnitiem ac igna-

(5.) reliqui non subjectum sed repressum Misconem, tradunt.

(6.) nec ideo tributarius dicendus, etsi socii tributarii facti fuerint.

ignaviam, regiones Vandalicas â Majoribus suis virtute ac industriâ partas turpiter amisisse, ut refert *Dubravius lib. 7. p. 59.* *Jordanus in Notis ad dictum locum lit. e*, è Polonicis Scriptoribus *Cromerus L. 3. p. 67. Sarnitius lib. 6. p. 227. & alii.* Convenit *Crantius* eodem sensu, iisdemque ferè verbis Misiconis Poloni infelicitatem, non tamen cum amissione libertatis Regni, conjunctam exprimens *lib. 2. Vandal. cap. 36. circa finem.*

(7.) Vandalicas regiones quasdam non vero Poloniam amisisse dicendus Misco.

§. XIV.

Falsa itaq; sunt, quæ de bellis & Crudelitate Misiconis II. Hominis ignavi & timidi referunt adversæ causæ Patroni. E. *Novo quodam conjecturæ argumento* sine jacturâ Veritatis concludere nobis liceat; *alium fortè Misiconem regionis Slavicæ Principē fuisse.* Memorat enim *Helmoldus* illa ætate *Bilungo* (qui alias etiam Boleslaus dicitur) Regi Obotritarum tres fuisse filios *Miezeslaum, Naconem*, (qui idem qui Otto) & *Sedrich*; vel etiam, si id admittere velis, ejus Pronepotes *Udonem*, (idem is qui Otto) *Gneum* & *Anatrock*. Fieri itaque potuit Regni Obotritarum divisio in tres partes, sive propriâ voluntate, sive ex decreto Imperatoris. Refert etiam idem Helmoldus *Udonem* improvisè â quodam Saxonum Transfugâ confossum fuisse. *lib. 1. cap. 15. & 19.* Ex hâc itaque Nominum similitudine, ex tam convenienti Temporis ratione, ex justo liberorum Bilungi vel Pronepotum numero, ex factâ inter illos Principatus divisione, ex ipsâ Udonis violentâ morte, quid vetat Jonstonis amplecti conjecturam. Ita

(8.) Nova conjectura jam concluditur: nempe Misiconem non Polonū sed Principē quendam Obotrirarum ab Imperatore tributarium factū.

 enim

enim ille, *Vandalis* (iidem qui nobis Slavi dicuntur) *illatum bellum, quod Misico, qui ineptè cum Miescone Poloniæ Rege confunditur, fratrem suum Ottonem ditione exuisset, qui ad Imperatorem confugit. Vastati inter Salam & Albim à Miescone plures quàm centum pagi, abducta XVM. hominum, Cunradus absque ulla gentis injuria reduxit Ottonem, & Miesconi, in Augustias redacto & petenti pax concessa eâ lege, ut abductos homines & prædam restitueret. P. 4. L. 3. pag. 272.* Sed quâ fronte plerorumque scriptorum, etiam coævorum fidem dubiam reddere potuisse. Liceat hîc Senecæ uti verbis: *Historici*, (in sequiori sensu) *sunt. Quidam incredibilium relatu commendationem parant, & Lectorem aliud acturum, si per quotidiana duceretur, miraculo excitant. Quidam creduli, quidam negligentes sunt: quibusdam mendacium obrepit, quibusdam placet,* Natur. Qv. L. 7. c. 16.

SECTIO

SECTIO VI.

DE POLONIA NUNQUAM TRIBUTARIA,

Serie Annalium continuatâ,

A Casimiro Regiæ Dignitati restituto, Boleslao II. post illum eâdem abrogato, ad Vladislaum I. sub Ducis Titulo Imperantem,

junctis controversiis,

quæcunque

Cum Gregorio P. M. Conrado & Henricis Imperatoribus Romanis, intercessisse creduntur.

ab A. 1041. ad A. 1059.

§. I.

Conradus Imperator contra Polonos à Rixa excitatus, bellum in illos movet, sed irrito conatu.

POst obitum *Mieczeslai II*, penes conjugem Reginam, *Rixam* dictam, Potestas Regia relinquitur, magno Reipubl. damno. Nam contemptam se à proceribus sentiens, è Poloniâ, vel vi pulsa, vel metu adacta, ad *Conradum* Imperatorem secedit, oblatis ei magnis muneribus, & inter ea, duabus coronis è thesauro publico surreptis. Conradus Rixæ precibus & muneribus adductus, ad vexandos & infestandos Polonorum fines exercitum misisse dicitur: sed non multùm progressus, nec magnis damnis illatis citò domum reversus est, vel quod invitus eò se bello cum Polonis implicabat, & Reginæ tamen

utcunque ſatisfaciendum putabat; vel quod ad ſedandos motus Burgundicos ac Italicos & Bohemicum fortaſſis bellum, avocabatur. Cujus quidem belli Polonis tunc à Conrado illati neminem, præter *Dugloſſum*, mentionem feciſſe, autumat *Cromerus* *L. 4. pag. 72.* *Sigonius* tamen ſcriptor exterus, non antiqvus, aſt antiquorum monumentorum judicioſisſimus compilator, *belli Polonici à Conrado ſuſcepti* meminit, addens: *dimittendum id fuiſſe Conrado bellis inteſtinis diſtracto ac impedito l. 8. ad an. M. 33.* Miſerrima tunc Reipublicæ motibus internis concuſſæ facies exſtitura fuiſſet, niſi Conradus iisdem domi malis præpeditus pœnam dediſſet iniquarum molitionum, quas raro proſperi comitari ſolent eventus.

§. II.

Bellum inteſtinū à Maſlao excitatum. An hic ab Imperatore Dux Maſoviæ creatus.

Per idem tempus, *Masſlaus*, qui & *Maſos* dictus, Pincerna olim Regis defuncti, vir audax, in turbido hôc Reipublicæ ſtatu, dominatum inter ſuos, in tractu Plocenſi, arripuit, occupatamq; terræ oram de ſuo nomine *Maſoviam* appellavit, ut tradunt *Kadlubko. l. 2. Ep. 15. p. 154. Dugloſſus. Tom. I. Hiſtor. Polon. l. 3. p. 189. Cromerus l. 4. p. 70.* & alii: Cum quibus tamen non convenit *Sarnitius*, altiùs nominis ortum petens, à *Maſſagetis Maſoviam* deducendo, rejectâ priori opinione *l. 1. Annal. p. 34.* Novus hîc iterum ſcrupulus injicitur, levis tamen, nec difficili

difficili conatu eximendus; *Conringius*, vir clariſſimus, Ducatum Maſoviæ â Conrado inſtitutum eſſe vult *p. 240. 241. 249. c. 18.* nullum verò in ſententiam ſuam citat autorem, adeo ut meritò rem hanc ſuſpectam habeat *Hartknoch. l. 1. c. 10. §. 1.* Nec magnoperè nos urgent *Tabulæ Carolinæ*, in quibus Maſoviæ Duces regno Bohemiæ adſcripti ſunt. Hos enim, die Hertzoge von der Maaß/ dictos opinantur quidam; Quanquàm eo nomine alios ab aliis intellectos ipſe ille Polyhiſtor. Germ. fateatur, *c. 29. p. 586.* Relinquenda ergò patriis monumentis fides, quam ſequi non dubitavit *Thuanus*, vir magnus, cui magnum certè, ob ſcribendi integritatē, inter doctos nomen eſt. *L. LVI. p. 1068.*

§. III.

Henricus in Imperio ſuccedit & Caſimirus in Regnum revocatur.

Conradus vitam cum morte commutavit, Ann. MX. *Henrico III.* Nigro dicto, ſucceſſore Imperii relicto. Poloni jam per ſex annos ſævis tempeſtatibus jactati ac fatigati, remiſſis diſſidiis internis, de Republ. cogitant. In dictis Gneſnæ comitiis, *Caſimirum* revocandum, vindicem futurum ac defenſorem, concludunt. Romam miſſi Legati à Pontifice impetrant, ut Caſimirus Monachus tunc & Diaconus *Profesſionis & Sacramenti religione ſolutus*, ad regnum ſuorum Majorum redeat, & liberos, ſtabilimenta regni, procreet. Pro hôc Polonis, quò beneficium ſedis Apoſtolicæ agnoſcant, injunctum, ut de ſingulis

Ex præscripto tamen Pontificis, Denarius S. Petri & rasura capitis Polon. indicitur.

gulis Capitibus, exceptis Nobilibus & qui sacris additi sunt, quotannis *obulus unus in lucernam perpetuò in æde divi Petri Romæ arsuram* pendatur. Præscriptum etiam, ut Poloni *rotundâ in morem Monachorum tonsurâ capillorum* utantur. Suscipiunt haud gravatim præscripta Pontificis Oratores & Poloniam omnem ad servanda illa adstringunt: *Conspirantibus hic Polonicis annalibus plerisque*. Inter malleum verè & incudem posita jam videtur libertas Polona, quæ Sedi Romanæ novâ, Imperio verò Germanico, veteri (ut creditur) obstricta necessitudine, quocunque se vertat, duro pulsatur ac penè non contunditur cuneô. Sed durus libertatis nostræ nodus est, tot ictibus jam induratus, ut ad iteratos veteres atque novos impetus additos nondum rumpatur. Quo pietatis ac reverentiæ vinculo Respubl. nostra Sedi Pontificiæ obstricta sit §. 7. 8. exponetur. Quam imbelle porrò ex præstatione denarii S. Petri ad subjectionem concludendam argumentum sit *section. I.* ostensum, & paulo mox clariùs deducetur. Imo, etiam invisæ vocis, *Tributi*, tunc nulla mentio facta; nisi quod *Albertus Kranzius* (relatione de denario S. Petri, cum Polonicis Annalibus conveniente, præmissâ, *l. 2. c. 37.*) sub *Vladislao Locktico* eundem denarium in vim ac nomen *Tributi* transiisse, scribat *l. 8. c. 2.* Quâ de materiâ debito loco agendum. Remissâ itaque dubii istius argumenti ad suos fontes discussione; hîc jam solliciti simus, ut & in veritatem historiæ, &,

An nummus ille tributum dictus sit.

De veritate facti prius dubitatur.

&, si de eâ constet, in promissi tunc nummi & rasuræ indictæ causam inquiramus. De veritate rei ita gestæ dubitat *Hartknoch* sequentibus: Quod ad primam, *inquit*, attinet " conditionem, contradicentem habemus *Dithmarum*, qui jam anteà censum Pontifici Ro- " mano solutum esse à Polonis refert, nisi illud de " alio quopiam censu intelligendum esse quispi- " am asserere velit, de quo tamen apud Polonicos " scriptores nihil prorsus occurrit. *Dithmari* " verba hæc sunt: *Boleslaus* (Chrobri) *Dno Papæ* " *questus est, per Epistolæ portitorem, ut non liceret* " *sibi propter latentes Regis* (Henrici II. Imperat.) " *insidias promissum Principi Apostolorum Petro per-* " *solvere censum. l. VI. Hist. pag. 67.* De secundâ " conditione memorabilia sunt, quæ nescio ex " quo vetustiori scriptore habet *Stanislaus Sarnitius* *L. II. Annal. Polon.* quæ hic benevolo " Lectori dabimus. *Benedictus I.* ait ille, *cum Casi-* " *miro I. Monacho relaxasset votum, ut regiam di-* " *gnitatem liceret ei adire, hanc legem genti Polonæ* " *imposuit, ut morem prolixos capillos gerendi tan-* " *quam gentilem abjiceret. Sed tamen mos gerendi* " *capillos Sarmaticus non priùs fuit abrogatus, quàm* " *post quandam cladem Bucoviensem dictam, ubi com-* " *plures ex Polonis inventi erant capillis ex arboribus* " *suspensi. Et tunc primum nausea cœpit & illa co-* " *matio Polonis, quæ aliàs decori & elegantiæ servire* " *putabatur.* Tertia conditio jam pridem apud Po- "

„ lonos exolevit. Hactenus *Hartknoch. lib. 1. c. 2. th. 12.*

Tum in causam inquiritur, an pœnitentia in dicta Regnũ an verò Personam Casimiri tantum afficiat? Affirmatur posterius.

Quid si jam causam penitiùs inspexerimus, non regni statum, sed personam Casimiri sacris initiatam, illâ affici, *Dubravii* judiciosâ docemur relatione. Ita enim ille: *Sacris, ut dictũ est, initiatus & veste religiosâ vestitus Casimirus fuerat: sed interveniente Romani Pontificis assensu, sacram personam cum profanâ mutavit, nihil sibi de priore statu retinens, nisi consvetudinem attondendi decurtandique capillos, cum alii Poloni sic passim cæsariati, ambularent, ut cincinni dorsa illorum, qualiter mulierum flagellarent: permanet in hunc usque diem apud Polonos jejunium & tributum* (quam vocem in sensu laxiori accipiendam ostendetur suo loco) *à Romano tunc Pontifice ad expiandum religionem à Casimiro profanatam institutum. Nam & jejunatur ab illis in singulos Mercurii dies & quotannis ab uno quoq; solvitur denarius, qui S. Petri cognominatur. L. 7. hist. Bohem. pag. 61.* Etsi quidem Doctores Catholici ipsi fateantur; Principes, etiamsi votis religiosis obstringantur, nihilominùs iisdem facilè eximi & conjugium inire posse: quia votum vim habet ex liberâ voluntate, eòque non potest præjudicare præcepto: (Crescite & multiplicamini) quod ex naturali obligatione vim accipit, imprimis ubi salus regni id exigit. Quâ de re consulendus *Rebell. de Obligat. l. 2. qu. 2.* Docent tamen Juris Pontificii Interpretes, vinculum hocce nonnisi Pontificis Maximi autoritate accedente solvi posse, demonstrante id fusiùs *Gonzalezio ad Capitul, I. X. de elect. & elect. potest. n. 16, 17. & seqq. Tom. 1.* Potuit itaque conditio nummi annui exsolvendi placito Pontificis M. decerni, non in signum adjudicati Sedi Romanæ Regni Sarmatici, sed in memoriam sublati in personâ Casimirianâ impedimenti; cujus tanto amore flagrabat Gens Lechica, ut quod in alium quemque liberâ voluntate devolvere poterat, in Casimirum etiam sub onere quodam jus supremum, quod ipsa, cum sui juris esset, habuit, transferre maluerit; obligatione hâc ad posteros transmissâ, non tamen per vim subjectionis, sed pacti: *quâ de materiâ revolvenda Sectio I.* Faveret hîc quidem causæ nostræ *Petrus Svavis*, (alias *Paulus Sarpius* dictus) si ejus de assumpto à Philippo & Maria regio titulo Hybern. acri judicio, quod habetur *in Historiâ Concil. Trident. l. 5. verbis sequ. Illud herclè Pontificibus, &c.* uti liceret: verùm cum id displiceat *Palavicino in Histor. Concil. Trident. l. 13. c. 12. n. 1. 2. 3. 4. 5.* & plerisque DD. Sedi Pontificiæ arctiori quoddam vinculo obstrictis; Sententiam istam argumentis ex Evangelicorum hypothesi propugnandam Lectori obtrudere animus mihi non est; ne veritas religionis suspicione labefactata appareat. Liberam ergo ab omni affectu hanc certò asserere licet sententiam: *Nullam ex hâc causâ, Regno Polonico à Pontificibus M. motam status contro-*

(1.) *Dubravii interpretatione.*

(2.) *vinculum Religionis solum tenebat Casimirum, à quo liberari non potuit nisi Pontificis autoritate.*

(3) *Polonia tunc sui juris, & alii conferre potuit supremam Majestatem, sed amore Casimiri, oneri in dicto non ex subjectione sed pacto se submisit.*

(4.) *à Silentio Archivi Pontificis M. cum tamen de aliis regnis S. R. E. tributariis monumenta ibi reperiantur.*

troverſiam, ut in ſignum ſubjectionis tributum ab illâ exactum teſtentur Archivorum in curiâ Romanâ repertorum monumenta; quorum tamen varia in præjudicium aliarum regionum à Scriptoribus producuntur. Ita Angliam ex hôc capite Provinciam Sedi Romanæ tributariam factam colligunt *Polidorus Virgilius*, *Baronius* & jam è veteribus *Bartholdus Conſtantius in appendice ad Hermannum Contractum*; Eundemque Denarium *S. Petri tributum* appellatum vult *Bodinus l. 1. c. 9. p. 72.* Quos tamen ſuo ſenſu abundare patior, & iisdem cum *Uſſerio lib. de Chriſt: Eccleſ. ſucceſſ. & ſtat. c. 7. §. 8.* & Spelmanno *in Concil. in Re Eccleſ. Orb. Britann. fol. 230.* certamen ſubeundum relinquo. Quantum juris in regnum Neapolitanum ac Sicilianum Pontifices M. ſibi vindicent, integro tractatu. *de Monarchia Siciliæ*, quem etiam *Tom. XI.* inſeruit, *Baronius* proſecutus eſt: contradicente tamen Philippo III. cujus Edictum exhibet *Goldaſtus de Monarch. Imperator. tom. III. pag. 619.* Diſpar eſt Regum Regnique noſtri conditio. Coronam quidem à Pontifice impetratam, pertinaciter non impugnamus. Aſt ita etiam Carolus M. Coronationem ſuam à Leone Pontifice peragi paſſus fuit. Quem alii atque alii Imperatores ſecuti ſunt & à Pontificibus M. coronari voluêre, pro diverſis temporum moribus, & affectuum ſuorum in Sedem Romanam varietate: Namque non ſolùm ritus procurari, sed ipſam quoque dignitatem & Pote-

(5.) impetratio coronæ à P. M. an Poloniã ſubjectionis notâ magis afficiat quã reliqua regna.

Poteſtatem Impp. conferri, magna pars Eccleſiæ Romanæ jam dudum credidit. *V. Baron. T. X. Annal. ad A. D. CCC. LXXI.* Nec indicta denatii pendendi pœnitentia, in quâ acquiêvere Rex Populusque Pol. aliud concludere patitur, quàm quod religionis Catholicæ principia obſequium ab Impp. Romano-Germanicis, æque ac à Regibus Poloniæ, Sedi Romanæ debitum exigant. Teſtantur enim infinita monumenta, nec ipſos Imperatores, aliosque Reges à pœnitentia indictâ, mulctâ dictatâ, pœnâ irrogatâ, immunes fuiſſe; Pontificium M. ſupremo arbitrio pro lege ab ipſis habito: cujus rei illuſtrioria exempla collegit *Bodinus l. 1. de Republ. c. 9. & l. 6. c. 1.*

(6.) an, ſi regnum afficiat indicta pœnitentia, ideo Polonia S. R. magis ſubjecta, quam reliqua Regna?

§. IV.

Caſimirus avitæ dignitati reſtitutus, curam ſibi ſumit reſtituendi priſtinæ potentiæ Regnum. *Maſſlaum* ergò magnæ Pol. ditionis injuſtum Poſſeſſore armis aggreditur, & cruentis tandem præliis victum in fugam agit, ereptâ illi ac redditâ „ Regno Maſoviâ. Interim dum hæc geruntur „ in Poloniâ, Henricus Imperator, cum medi- „ tatum etiam à Patre Bellum Boemis intuliſſet, „ ſuperbo Prædislao Ducis reſponſo, de redden- „ dis Polono Regi munitionibus, magis etiam „ fortasſis irritatus, principio quidem rem non „ ſatis proſperè geſſit: ſed altero anno repetitâ „ majoribus viribus in Boëmiam expeditione, „ victum fractumque Prædislaum graviter mul- „ ctavit,

Maſovia redditur Regno.

Henricus contra Bohemos bellum movet, quod hi Poloniam vaſtaverint.

„ctavit, & jure jurando in sua verba adactum, „ quas de Polonis ceperat, vel ipse in finibus „ Poloniæ munierat munitiones, Casimiro redde„ re coëgit: concessâque ipsi Moravia, tribu„ tum auxit, ita ut quingentas libras, sive ut „ vulgò vocant marcas argenti, ac centum vi„ ginti Boves Dux Boëmus deinceps Romano „ Imperio quotannis penderet, *Cromeri testimon.* „ *l. 4. p. 76.* *Bonfinius* Scriptor Ungarus, hîc primum contra sententiam Cromeri impetum facturus sistitur *l. 2. decad. 2. p. 221. Henricus III.* ait ille, *graviter indignatus, quod Poloniam injussu suo devastavit, Odolvico Boëmo filioq; bellum indixit: Quia Romano Imperatori Ducatus ille subjectus erat, quotannisq; boves centum & viginti, item argenti postulati quinquaginta pondo pendere cogebatur.* Eundem tamen optimo jure repressum exhibet *Hartknoch.* sequent: argum: præterquam quod Antonius Bonfinius recentior est Scriptor, etiam in loco illo, per citatum Ducatum illum tributarium, non Poloniam sed Boëmiam intellexisse videtur. Quod enim Boëmi ejusmodi tributum Imperatori pendere sint soliti, referunt & *Æneas Sylvius in Hist Bohem. c. XIX. p. 19.* & *Albertus Crantzius lib. II. Vandaliæ c. 45.* qui eandem, quam habet Bonfinius, de Henrico II. recensent historiam. *l. 1. c. 2. p. 52.* Mitius *Aventinus*, qui causam suscepti belli hanc exprimit; Bohemum nempe, vasallum Imperii, inscio Imperatore, bellum

Inde Poloniam Imp. Romano tributariam esse autumant. Bonfinii testimonio.

(1.) Resp. perversa hæc est verborum Bonfinii interpretatio. (2.) pleriq; scriptores testantur, Bohemum tributariũ ex crimine feloniæ, quod invito Imperatoris feudi Domino Poloniam lacesseret, punitum.

lum in Polonos movisse, meritum hoc ipso, criminis feloniæ pœnam, nisi Principum Imperii intercessione liber pronunciatus fuisset *l. 5. Bojor. p. 653.* Eadem ferè Dubravii relatio legi meretur in ejusdem *l. 7. p. 60. & 61.* Verùm nec hi autores σύγχρονοι sunt & si fortè ad Lydium lapidem coævorum præcipuè annalium admoveantur, nullam ex istis firmam deduxeris dubiæ rei explorationem. *Wippo, Casimirum Imperatori serviisse fideliter, refert cit. loc. Marianus Scotus*, Bohemiæ Ducem *rebellem ad obsequia redactum scribit, l. 3. ætat. 6. p. 450. Helmoldus* his verbis conceptam rem exprimit: *Pax firma fuit in omni regno, quia fortissimus Cæsar Henricus* (III. scil.) *Ungaros, Boëmos, Slavos & omnia finitima regna potenti manu coëercuerat. l. 1. Chron. Sclav. cap. 22. n. 4.* Jungendus illis Hermannus Contractus, qui de Henrico ita loquitur ad an. M. 51. *Imperator contra Gazmarum* (idem hic, qui Casimirus) *Ducem Polonorum rebellionem molientem, expeditionem parat graviùs, infirmitate detentus, Pacem Pactumq; eum petentem suscipiens discessit.* Nulla hic subjectionis aut tributi mentio, nisi quod in belli Bohemo-Polonici inquirendâ causâ hæreat animus, cujus calculo se subjiciat. Sed quî fieri potest, ut idem Casimirus *fidelis* & *rebellis* simul audiat? Recentiores allegati *Dubravius* & *Aventinus Vipponis, Scoti* & *Helmoldi* fidem sequi malunt: ut id colligere licet ex præcedentibus: Æneæ Sylvio & si solidè satis responderit Hartknoch, non inuti-

(3.) σύγχρονοι variant, dum alii Casimirum fidelem alii rebellem fuisse scribunt. dubia E. illis fides.

inutile tamen erit, Cromeri censuræ eundem submisisse. Verba Cromeri hæc sunt. Atque hoc illud est, quod Æneas Sylvius & alii nonnulli historici scribunt, ab hoc Henrico Boëmorum Ducem domitum esse, quod is injussu suo Poloniam vastasset. Neque non existimandum est, Poloniam tunc in ditione Romanorum Imp. fuisse. Nam quod addit Sylvius, Silesiam Boëmis ab Imp. imposito tributo traditam esse, de Moraviâ id rectius accipitur. Silesiam enim etiam tunc in Polonorum ditione mansisse l. S. Petri nummus, cujus dudum mentionem fecimus, argumento est. Nam eum Silesii quoque itidem ac cæteri omnes, qui tunc in regno Polono censebantur, etiam nunc pendunt: & aliquanto, post, ut nos inferius ostendemus, ea regio Silesia dicta est. *l. 4. p. 76.* Sit verò & in hoc argumento salva Æneæ Sylvii autoritas, additis illi in majus fidei præmunimentum Cosma Pragensi *l. 2. Chronici Bohem.* ad ann M. 54. *Boreckio* in Chronico *Bohemiæ part. 1. anno M. 40.* *Cureo* in Annal. Silesiæ *p. 39.*; Bonæ istius causæ *Sectione V.* satis superque probatæ securi, silentio illam præterire, quàm iterato argumentorum examine libertatis hactenus infractæ vires tentare malumus.

(4.) *Moraviam Casimirum sub tributo tenuisse vult Cromerus.*

(5.) *Æneas Sylvius verò, aliiq; de Silesia intelligunt.*

(6.) *Regnū Poloniæ ex hoc capite non est tributarium, etsi Provinciæ acquisitæ nomine tributū penditur.*

§. V.

Boleslaus II. à fortitudine Audax dictus nulli hostiū succubuit.

Persolutis Regi *Casimiro* justis, paternum Regnum, communi omnium voluntate, *Boleslao II.* filio defertur anno M. XLI. Tanta ipsi animi magnitudo fuit, tantus gloriæ stimulus, ut rebus

rebus à primâ ætate maximis gerendis aptus bella summâ semper cum laude conficeret. Ducis & militis gregarii alterna illi officia; perpetua in periculis felicitas, nec rara è præliis victoria: Unde *Audacis* nomen fortè traxit; seu ut Lubienskii utar verbis: *Audacis nomen promtus ad quævis bellica pericula subeunda animus illi pepererat. In oper posthum. p. 321.* Non me movet vitium cognominis. Benigniorum enim vocis interpretationem exigit rei aliter & cum laude gestæ veritas. Nec insolita fuit mediis seculis nominum asperiorum impositio, externâ specie notam ignominiæ præ se ferens, in meliorem tamen partem sæpè versa. *Henricum VI. Imperatorem* à severitate in hostes & rebelles *Asperum* appellatum fuisse, testis est *Abbas Uspergensis in Chronico suo: ad vitam Henrici VI.* *Alphonsum IV.* Regem Portugalliæ à morum austeritate & animi robore *Ferocem* dixere. *Non. de vera Reg. Portugall. fol. 1261.* Scriptores quidem rerum Polonicarum plerique rationem impositi cognominis ab *audacissimo* facinore, cæde nimirum Stanislao S. illatâ deducere conantur. Sit fides penes illos. Nihil hic eorum autoritati, aut conjecturæ nostræ æquitati decedere posse autumo, si ad indolem ac vitam Boleslai sensum cognominis dicti istum traxerimus, quem in exponendo *Philippi* Burgundiæ Ducis *audacis* dicti, Charactere præbet *Serranus. Primas*, ait ille, *hic tulit*

An à cæde Stanislai Audax dictus.

Conciliatur utrumque. *tulit præ majore natu Philippus*, audacis *reipsâ demonstrans nomen, quod in defendendo, in Pictaviensi prælio Joanne patre acquisiverat. Quod nimis tamen postea in vitâ & moribus auxit, hæreditarium quasi filiis relinqvens, eô nimirum in temerariam insolentiam converso Invent. Hist. Fr. f. 100.* Ita virtutis & vitii mixtura Boleslao tribuit, ut *audax* appellaretur.

§. VI.

Hanc veritatis faciem historia heroicorum *Boleslai* facinorum deteget. Nulla illorum illustriora, quam quæ in bellis cum Imperio Romano, Regno Bohemico, Russis, Prussis, vicinaq; Slavorum natione gestis, memoriæ traduntur. A bello Bohemico omnis mali fomite initium nobis esto. *Vratislaus Bohemus* cum infesto exercitu fines Poloniæ tentat: Silesiam ferè omnem igne ferroq; vastat; cui succurrendum ratus *Boleslaus* cum manu collectâ hosti occurrit, eumque inopinantem aggreditur. Bohemus iniquæ causæ conscius & armorum potentiâ impar, fugæ consilium capit & à Rege fallendi magis causa quam pacis petendæ colloquium petit. Sed regis præsentiam fugiens silentio suos in Boemiam reducit. Victor ergo Boleslaus hostem persequitur, vastatâque Moraviâ ipsi Boemiæ exitium parasset, ni Boëmi precibus victus pacem affinitate sanxisset; *ut id habent Polon. annal.* Bohemici Scriptores belli ejusdem meminêre, dissimulatâ tantùm per silentium Polonorum victoriâ, nisi, quod reddi-

Bellum Boleslai cum Bohemis.

redditam Bohemo pacem, aut ut verbis *Dubravii*, utar; *Fœdus initum inter utrumq; Regem, per instauratum matrimonium Svatovæ sororis regiæ Bohemo nuptum collocatæ*, fateantur *in annal. dict. et. l. 8. p. 71.* Henricus IV. Imperio Romano-Germanico tunc præerat. Arbitrium belli Bohemo-Polonici ab Imperatore invitis Boleslao & Uratislao obtrusum, & à *Lamberto Schafnaburgensi*, qui tum floruit, notatum in subjectionis argumentum trahit Conringius. Lambertus ergo ipse audiendus, an certum solidumque conferat sententiæ Conringianæ munimentum. *Inter ducem*, ait, *Polonorum & Ducem Bohemorum infestissima dissensio erat; propter quod eos Rex Henricus II. in civitatem Misilæ autumnali tempore evocatos, durius corripuit, ut & deinceps suis singuli terminis contenti essent, nec se vicissim temerariis incursionibus lacesserent, sub obtentu Regiæ Majestatis præcepit, alioquin se hostem & vindicem exjesturus foret, qui prior alteri arma tulisset.* Nullum arbitro in partes bello inter se certantes jus esse *Sectione V.* probatum. Nec obtrusum invitis partibus arbitrium, robur addit adversæ sententiæ. Societatis enim humanæ vinculo obstringuntur sibi invicem Reges ac Principes, ut non unius creditæ sibi gentis tantùm, sed & magnæ societatis rationem habeant. Grotio id apposité & ad rem demonstrante *Proleg. de I. B. & §. 24.* juncto ejus interprete Zieglero. *ad d. l.* Inde jus cogendi partes ortum, ut æquis legibus pacem accipi-

Henricus IV. in Imperio succedit: An ideò Polonia Imperatori subjecta, quod Henricus Pacem Polono Bohemoque faciendã injunxerit, ut vult Lambertus.

Resp. neg. 1. Arbitro in alios nullum jus est. (2) cuilibet Principi incumbit, ut vel invitis partibus arbitrium suũ obtrudat.

accipiant. Ejusdem argumento *l. 2. c. 23. §. 8. n. 4.* Cujus momenti plurima obvia exempla vide apud Cassiodorum III. 1. 2. 3. 4. & *Gailium de pace publ. 11. c. 18.* An vero Imperatoriæ Majestati præcipuum quoddam, præ reliquis principibus, sententiam dicendi jus sit, in Hist. *Lotharii Imp.* deducetur.

An Imperatori præcipuũ ex hoc capite jus est.

§. VII.

Prussi Boleslai virtute domiti.

Quid referam *bella Prussica*, magna Boleslai virtute confecta? Cæsa enim ingenti strage gens tum barbara, & ferè excisa in potestatem Regis transiit. Nec minori gloriâ nomine Socii ac generi sui *Belæ* Ungari, in medias Hungariæ regiones tentata & peracta expeditio, restituto in regnum avitum Belâ antea extorre; Scriptoribus, Polon. id fusius referentibus, quibus suffragatur Bonfinius rerum Ungaricarum commentator, *decad. 2. l. 3. p. 194. 202.* Unicus huic in nomine error, dum *Misiconi, Boleslai fratri* id tribuit, quod veriùs *Boleslao* assignant Annal. Polon. Scribit enim Cromerus Casimirum quatuor ex Dombrogveva reliquisse liberos mares, *Boleslaum, Vladislaum, Miconem & Ottonem.* Ex his Otto puer admodum, vivo patre, Miesco adultior octavo post patrem anno è vivis exempti sunt. *L. 4. p. 78.* Quid in Russia præclarè gesserit, Annales Russiæ subticere dolet Cromerus *p. 79.* Boleslai etiam virtute Pomeranos rebelles & ad obsequium redactos eod. autore constat, Bonfinio non dissentiente, præter quod & hîc *Boleslai* & *Misconis* nomina confundat. Quæ quidem tam illustria pietatis &

Bela ejus auxilio Regno Hungariæ restitutus.

Bonfinius falsò ea tribuit Misiconi, quæ Boleslaum concernunt.

In Russia felix expeditio sed scriptorum silentio suppressa.

& fortitudinis monumenta documento sunt, *Bonæ Causæ Boleslavianæ semper certam spem adfuisse comitem.*

Victor semper Boleslaus nunquã victus ob bonæ causæ fiduciam.

§. VIII.

Boleslaus ergò noster tot gentiũ victor, pius ac felix, an Imperatoris Henrici IV. dissidiis cum Sede Romanâ gravissimis intercedentibus, & intestinis à filio excitatis motibus distracti, ac pœnè enervis redditi imperata facere, aut arbitrio impotentioris subscribere, necessum habuerit, Lectoris erit judicare. Non video jam, cur tanto encomio dignum *Lambertum* judicet *Conringius*, ut illius tanquam *scriptoris supra seculi sui captum prudentis* verba notatu digna commendet. Sane ut plerosq; mediæ ætatis Scriptores, ita & hunc fortè torrente quodam affectus in patriâ intensioris aut odii in gentem nostram libertatis suæ tenacè, ne dicam, crassæ in exteris ignorantiæ abreptum innuit pompatica illa Juris Imp. in Poloniam deductio, nullis certè fundamentis innixa, nec prævalentis Henrici potentiæ argumento firmata. Prodeat verò ipse, & causam Imperii acturus imbecillitatem argumenti sui prodat. *Anno 1077.* inquit, *Dux Polonorum qui per multos jam annos Teutonicis tributarius fuerat, cujusque regnum jam olim Teutonicorum virtute subactum atque in Provinciam redactum fuerat, repentè in superbiam elatus, propterea quod principes Teutonicos cerneret domesticis seditionibus occupatos, nequaquam ad inferenda cæteris gentibus arma vacare, regiam dignitatem*

(1) Absurdum inde elicitur: Boleslaum coactum parere Imperatori.

Lamberti relatio suspecta inde arguitur.

Lamberti verba:

 regium-

regiumque nomen sibi usurpavit, diadema imposuit, atque ipso die natalis Domini à 15. Episcopis in Regem est consecratus. Quæ brevi post comperta Principes Teutonicos, quibus Reipubl. dignitas curæ fuit, graviter affecêre, sibique invicem succensebant, quod dum intestinis in se suaque viscera odiis sævirent & digladiarentur, potentiam opesque barbarorum in tantum aluissent, ut jam tertio Dux Bohemicus regnum Teutonicum ferro & igne populabundus, peragrasset & nunc Dux Polonorum in ignominiam Regni Teutonici contra leges & jura majorum nomen regiumque diadema affectasset. Hûcusque Lamberti patrociniũ, quàm imbelle, ex præcedentibus constat; quibus addi meretur *Sarnitii* judiciũ, qui Henrico nullas cum Boleslao inimicitias intercessisse ex affinitatis contractæ vinculo conjicit. *in Annal. l. 6. p. 236.* Miratur præterea Cromerus hæc ita à Lamberto prodita esse, qui per hæc tempora vixit & res gestas Germanorum conscripsit; *Atqui plus septuaginta annis ante hoc tempus Polonia regem cum habuisset, & quidem Ottonis Ruffi Germani Imperatoris beneficio per hoc tempus habere desiit. Jam verò quindecim Episcopos Poloniam non modo tunc sed nunquam omnino habuisse ipsa rei evidentia falsum esse, convincitur. l. 4. p. 90.* Displicent ista Conringio causæ Lambertinæ Patrono: *At verò*, replicat is, *fabulosa esse illa ab Ottone III. utq; repetita tituli regio Polonici exordia jam probavimus. Et cum exprimendo Episcoporum numero Zyphris quas appellant, fuerit usus Lambertus, facile error surrepere potuit citra Lamberti*

(2.) nec bellum inter Imperatorẽ & Boleslaũ intercedere potuisse conjicit Sarnicius.

(3) falsitatis in circumstantiis male relatis arguitur Lambertus à Cromero.

Conringii Cromero factæ responsioni satisfit.

berti culpam. p. 251. Cromeri sententiam de collato ab Ottone III. Duci Poloniæ diademate pertinaciter defendendam, hic mihi non sumo, sed ad sectionem V. remittere placet Lectorem, qua evictum, Polonos Duces proprio atque ita potiori jure regium sibi sumpsisse titulum & continuasse. Nec præsumendum esset *Lamberti Scriptoris supra seculi sui captum prudentis*, ut vult Conringius, incuriâ errorem in numeris præter culpam surrepere potuisse, cum apud accuratiores verba & numeri valere debeant, sicut nummi. Sarnitii rationes Cromerianis junctas si quis admiserit, vana, vilia, & authoritate ac fide destituta apparebunt Lamberti relata *L. C. annal. p. 234.* Nec est quod Conringius tantopere urgeat, *Duces tunc non Reges ab Imperatore appellatos.* Invidiæ causâ latuit, quod Poloni ad Pontificem non ad Imperatorem confugerint recuperaturi pro Casimiro regii decoris confirmationem: quâ re Imperatores offensi nolebant eos pro regibus legitimis agnoscere; conjiciente ita Sarnitio *dict. loc. in fine.* A negato verò titulo ad tollendam ipsam rem, quàm instabile sit argumentum ipsorum, Imperatorum, quibus negatus sæpe à Pontificibus Imperatorius Character, stet sententia judicio. Quantæ inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Fr. Regem in materiâ reciproci negati tituli debiti lites intercesserint, *ex Franciæ annalibus* constat. V. *Contin. Thuan. L. 4. ad A. 1611.* Sed novus è Gregorii VII. Pontificis *M. epistola XIII. L. 3.*

Quid de Gregorii VII. P. M. epistola quâ Boleslaus Dux non Rex appellatur, sentiendum.

l. 3. eruitur ſcrupulus, in quâ Boleslaus Ducis tantum titulo inſignis exhibetur. Iſta quidem ſibi adverſa non ſunt, ut idem Boleslaus, qui a *Nativitate Rex* fuit, à *virtute Dux* appellaretur. Et qui aliâs ſalva ſubſiſtere poſſet Bullarum Pontificiarum autoritas; quarum alterâ collatum Caſimiro diadema regium percepimus, altera â Gregorio editâ Boleslaum Regia dignitate privatum mox exhibebimus; Si id admiſerimus, negari poſſe â ſucceſſore Pontifice, ſine causâ, beneficium, quod ex juſtâ cauſa ab Anteceſſore collatum eſt; aut privatos eſſe Regio Decore Duces Poloniæ, nunquam ante hâc iſto charactere inſignitos.

Tacit. de Mor. Germ. c. 7.

§. IX.

Boleslaus Stanislaum occidit, & Regno idcirco privatur.

Poſt actam honeſtisſimè hactenus vitam, in portu naufragium exiſtimationis ſuæ facere videtur Rex optimus. Impatiens enim monitoris ſui Stanislai & convictus, ut fertur, ſcelerum, Præſulem iſtum ſacrum Cracovienſem ſtricto enſe ad internecionem ferit & cadaver canibus diripiendum præbet. Quæ ubi Romæ nunciata ſunt, Pontifex M. Gregor. VII. atrocitate rei commotus Regem, ſolenni ritu, regiâ dignitate exuit, diris devovet, totiq; Poloniæ ſacris interdicit: inpoſterum quoq; ne quem Epiſcopi Regem injuſſu ſuo ungerent & coronarent, interdixit. Infelix ergo ſuâ culpâ Boleslaus in exilium ſponte ſecedit, vitamque extorris claudit. Ut id tradunt Commentator Kadlukonis. *ad l. 3. Ep. 22. p. 184.*

De genere mortis variant ſcriptores.

p. 184. Cromerus l. 4. p. 90. & alii ſcriptores Polonici; exteris quoque hic conſpirantibus, niſi quod de genere mortis mitiùs alii, alii duriùs ſentire videantur. Quâ de re legi posſunt *Dubravius l. 8. p. 73. in fin.* Cureus *annal. Siles. p. 41. & 42.* (accerrimus Boleslai cauſæ contra Gregorium VII. defenſor) *Crantzius l. 2. Vandal. c. 12, 13, & 14.* rectè ibi judicans: Majorem Polonis quàm ſuis aut aliorum exterorum relatis fidem deberi, verbis ſequentibus: *Diligentiorem narrandarum rerum curam Polonis de ſuis annalibus reſervamus, quos jam credo apud illos conſtare plenisſimos & pro temporum ratione magis, ac magis inclareſcere. Dict. C. 14. in fin. p. 60. n. 15.* Ut verò jam eò, unde paululum digreſſa eſt, ſe referat oratio, *Non ignobili quæſtioni ventilandæ hic locus eſſet: an Boleslaus noſter jure excommunicari potuiſſet?* Evangelicæ Religionis Principiis docemur, ſummum deberi Principibus amorem, ſummam eſſe eorum veneratione, ſummam Sanctimoniã; adeò ut Excommunicationi illi (*ſcil. majori*) ſubjici minimè poſſint. Tradunt id ex noſtris *Johannes Hülſemannus diſſert. de Corrept. fratern. §. 18. n. 285. p. 302.* Danhauer *Theol. conſcient. part. 2. dial. 3. ſect. 5. qv. 4. p. 1131.* Quibus addi poſſunt ICTI *Schilterus. de Libert. Eccleſ. German. l. 2. c. 4. th. 6. & ſeqq.* Reinking *de regimine ſeculari & Eccleſ. l. 3. cl. 2. c. 2. n. 38.* *Stryckius ad Jus Eccleſ. Brunneman. l. 1. c. 6. membr.*

An Boleslaus jure excommunicatus? & an ideo Regnum Polon. S. R. tributarium.

9. ad §.2. E *Reformatis* eandē nobiſcum ſententiā fovent *Goldaſtus* in colleẞ.tractat. contra Pontificē, *Mornæus. in myſterio iniquit. p. 721. Beckmannus diſſert. de Vicariat. Dei c.3. §.8.* & qui ad Eccleſiam Anglicanā ad tempus ſeceſſerat *Marcus Antonius de Dominis. l. 6. c. 10. n. 77.* Nec diſſentientes hîc haberem omnes Romano-Catholicam profeſſos Doctores; Inter quos magnum nomē obtinet *M. Gvilielmus de Ockam.* ſuper poteſtate *ſummi Pontificis*, *Marſilius de Menadrino. M. Henricus Chalenius. Cancellarius Imperial. &c.* & alii apud Goldaſtum & poſt hos *Joannes Georgius Hervartus* Cancellarius *Bavariæ* lib. *Ludovicus Imp. defenſus*, *Bzovius injuriarum poſtulatus & Nicolaus Burgundus Conſiliarius Cæſareus & Bavarus in Vita Lud. IV. Imp.* Quibus addi poſſunt Gallicæ libertatis defenſores *Gregorius Epiſcopus Turonenſis. l. 5. c. 18. verb. ſeqq. verb. iſtis: Si quis de nobis O Rex* — — —. Autor tractatus, cui titulus eſt *Brutum fulmen Sixti V. Papæ.* (quem Hottomannum Reformatum fuiſſe autumant) *Marca, Chopinus*, D. D. Sorbonici. *in Cenſuris lib. Jacobi de Vernant: La defence l'authoritè d. N. S. P. Le Pape de Nos Seigneurs Les Cardinaux: Et libri Amadei Gvimenii: opu-*

ſcula

ſcula ſingula univerſæ fere Theologiæ. Et qui noſtrâ ætate vixit *Meimbourgius* Abbas S. Victorii. Quo in argumento etiam deſudarunt Itali in Venetorū causâ; *Petrus Svavis in Hiſtor. Concil. Trident. Frater Fulgentius* natione Italus, *Maſſilius Presbyter Neapolitanus* in ſpecialibus Tractatibus in 8. A. 1607. impreſſis. Sed cum me non lateat, adverſam quoq; ſententiam ſuis non deſtitui defenſoribus, Viris doctis, è quorum numero eſſe poſſunt. *Baronius tom. 9. ad ann. 795.* & alibi paſſim. *Johan. Azor. Inſtit. moral. l. 10. c. 8. Jacob Gretſerus in Apolog. pro Gregorio VII. Johannes Alvarus Pelagius. in Pœnitent. l. 2. de planctu Eccleſ. pro Johanne XXII.* aliique; Placet ideoque argumentum iſtud, utpote inter DD. Catholicos controverſum abrumpere & ad hiſtoriarum recurrere monumenta; ut, quod nos ſuſpecti non poſſumus, ſuo illa decidant arbitrio. Conſtat enim ex iisdem, Romanos Pontifices ſummam non modò divinarum ſed etiam humanarum rerum poteſtatem in omnes Principes Chriſtianos ſibi ſumſiſſe, ſeu jure, ſeu vi & armis, ſeu Principum voluntate & conceſſu, ſeu diuturnâ poſſeſsione ac præſcriptione; *Bodini judicio p. 218.* Omnium verò nomine *Henricum IV. Boleslao* coævum hîc ſiſtimus, cui armis licet fortiter ſeſe opponenti, cenſuræ tamen Eccleſiaſticæ fortiori tandem ſuccumbendum fuit: ut ejus & ſucceſſorum fata lon-

 go

go ordine expoſuerunt *Gerhous Rechersbergenſis in Syntagmate de Henrico IV. & cæteris Imperator & Gregor. VII. nonnullisq; conſequentibus Romanis Pontificibus*, Et varii Scriptores Germaniæ ab *Urſtiſio* collecti. Numeretur ergò Boleslaus noſter inter memoranda Principum eâ ætate infeliciorum exempla ; ſitque ſtatus Imperii Romani iisdem temporibus Pontificum M. acerbioribus decretis miſerè conturbatus argumentum ſequelæ iſtius: *Non majori Poloniam, ac Imperium Romanum, Sedi Pontificiæ obſtringi pietate ac reverentiâ.*

SECTIO

SECTIO VII.
DE POLONIA NUNQUAM TRIBUTARIA,
Juxta ſeriem Annalium,
A Fine Seculi XI. usq; ad XIImi decurſum:
quâ ætate
In Imperio Romano Henrici IV. V. Lotharius. Conradus III. Fridericus I. & in Poloniâ Vladislaus I. Boleslaus III. Vladislaus II. Boleslaus IV. Mieczeslaus Senex & Caſimirus juſtus ſummam tenebant.

§. I.

Vladislaus I. ſucceſſor Regem ſe appellari paſſus non eſt, ſed Principem.

ABrogato ſolenni ritu *Boleslao, Vladislaus I. Hermannus*, frater, Principatû ſuſcepit, ſed Regē ſe appellare paſſus non eſt. *Cromerus* & cum eô reliqui commentatores Polonici, de causâ tituli regii non recepti inquirendâ ſollicitì, ita conjiciunt; nimirū, quod *Vladislaus* vel inunctus, & ſolenni in Regem ritu, prohibente Pontificis M. interdicto, coronatus non eſſet; vel quod reverſurum aliquando *Boleslaum*, regnumque repetiturum exiſtimaret. Quæ quidem Polonicorum Scriptorum conjecturæ, an è dignitate Regni Polonici ſint, an potiùs ejusdem autoritatem imminuant, meritò dubitare licet.

De quo tamen dubitatur.

Gvagvinus majori veneratione gentem noſtram proſequi videtur, dum mediis ſucceſſorum Boleslai Audacis temporibus Nomen Regium &

Regni applicatur: *Vladislaus Hermannus in Regno succesſit.* Paulò poſt: *Bohemorum Princeps videns Regem bello in Pruſſiâ occupatum magna damna Poloniæ intulit*: De Boleslao Krzivouſti ita ad rem: *Regni habenis præficitur, & Rex militis ſtrenui officium agens*: Quæ & alia è *Gvagvino* excerpta, approbata vide in *Hiſtoriâ Geographicâ Becmanni c. 8. §. 2. pag. 680.* Nec dubitavit Scriptor Bohemus, *Dubravius*, *Vladislaum noſtrum Poloniæ Regem* appellare *L. 9. p. 79.* cui tamen *Jordanus in notis ad d. l. lit. I.* Polonorum veriorem, ex opinione ſuâ, opponit relationem. Adhibeamus verò hic fidem Polonis Annalibus: Vladislaum nempe in Principis titulô acquievisſe, eundemque ad Poſteros ſuos transmiſiſſe: non metum hic â Cæſareâ Potentiâ, aut Pontificiâ autoritate ſubeſſe credas: *Alia*, inquit celeberrimus *Becmannus*, *ac prægnantior hujus rei ratio interceſſiſſe videtur, quod Regnum Poloniæ in varios Principatus diviſum, ac proinde nemo ipſorum amplius dignitati ſuſtinendæ par exſtiterit*: *Quâ diſtractione ſublatâ etiam ad Regium nomen reditum fuit nullô accedente vel conſenſu Pontificis, vel veniâ ab ipſo impetrata, d. l.* Addamus verò neceſſariam in præſenti hoc argumento cautionem Grotianam, quæ viam nobis monſtrare poſſit ad rectè judicandum, *an jus ſummæ Poteſtatis Vladislao etſi Principis titulo acquieſcenti competierit.* Monet Magnus ille *Hugo*, cavendum eſſe, ne decipiamur ambiguo vocis ſono, aut rerum externarum

Examinatur ratio iſta: an ex reverentiâ Sedis R. vel Imper. Principis titulus aſſumtus? Reſp. neg.

Sed vel (1.) ne ob diviſam in varios Principatum regionem titulus regni eviloſceret.

(2) *ad nomen regium reditum nullius accedente conſenſu.*

rum ſpecie. Quanquam enim apud Latinos videas Principatus & Regnum ſibi invicem opponi, ut cum *Vercingetorigis* patrem dicit *Cæſar*; *Principatum* obtinuiſſe Galliæ, ſed quod *Regnum* affectaret, interfectum: Et cum Piſo apud Tacitum, Germanicum dicit: *Principis Romanorum, non Parthorum Regis eſſe filium*: Et cum *Svetonius* parum abfuiſſe ait Caligulam, quin ſpeciem Principatus in Regnum converteret: & cum *Vellejo* Maroboduus dicitur non *Principatum* parentium voluntate conſtantem, ſed *vim regiam* complexus animo. Videmus tamen confundi hæc ſæpè: Nam & Lacedæmonii *Duces* ex Herculis poſteritate, poſtquam Ephoris ſubjecti fuêre, *Reges* dicebantur nihilominùs, ut modo vidimus: Et veteri Germaniæ Reges erant, quos Tacitus præfuiſſe, ait, autoritate ſvadendi, non poteſtate jubendi: Et de Evandro Rege *Livius*, rexiſſe eum autoritate magis, quàm Imperio: Et Suffetem Carthaginenſium *Ariſtoteles & Polybius* βασιλέα appellant: ut & *Diodorus*, quomodo & Hannonem Carthaginenſium Regem dixit *Solinus*. Et de Scepſi in Troade narrat *Strabo*: cum adjunctis in civitatem Mileſiis populari republica uti cœpiſſet, veterum Regum poſteris nomen manſiſſe regium, & honoris nonnihil. Contra Romani Imperatores, poſtquam palam & ſine ullâ diſſimulatione regnum liberrimum tenuerunt, Principes tamen vocabantur, *argu-*

(3) *quod ad Suprematum ſufficiat Principis titulus.*

argumentante ita Grotio, L. 1. c. 3. §. 10. Primus enim, qui Principis nomen in Imperio adoptavit, Augustus fuit, qui *cuncta discordiis civilibus fessa nomine Principis sub Imperium accepit. Tacitus, L. 1. Annal.* Quem secutus Tiberius, qui Princeps Senatus, ut erat vetus consvetudo, nominari voluit ap. *Xiphilinum in Tiber.* Ita Trajanus, ut ex *Plinii Panegyricô* constat, id unicè curavit, *ne quid regium ostentaret, sed verum Principem gereret,* (additâ tamen suspectâ nonnihil de supremo ejus Principatu censura) *qui proinde subesset Senatus populiq; judicio*: unde *Bodinus* argumentum ab assumpto Principis titulo tale nectit: *Imperatores Romanos summam initio potestatem non habuisse, sed Principes tantùm appellatos, i. e. in Republica omnium primos, quæ reipublicæ forma non Principatus, sed Monarchia erat.* Rectè tamen ideò stricturam passus est *Bœcleri,* quam vid. in not. ad Grot. L. 1. c. 3. th. 10. n. 3. Sanè, qui consilium & prætextum Imperatorum illorum non intelligit, nihil in historiâ Cæsarum plena ejusmodi imaginibus capit: ut iterum subtilissimè censet Bœclerus in Not. ad Grot. L. 1. c. 4. th. 6. n. 5. Conf. Henninges ad d. l. Cæterùm, quibus illam Cæsarum prudentiam, dum sub veteri nomine novum Imperium sibi asserebant, politicis rationibus pluribus illustratam legere volupe est, commendatas sibi habeant *Notas politicas in vitam Cromvelli,* Lentulum *de Arcanis regnorum c. 1.* Forstnerum *in not. ad. L. 3. Annal. Taciti.* Summa

(4) *ob exosum Regis titulum ex facto Boleslai.*

Prudentia Vladislai in assumto Principis titulo.

Summa ergò in Vladislao emicuit prudentia, quod in veri Principis titulo securè acquiescere, quàm externo exosi tunc Regii nominis splendore superbire maluerit.

§. II.

Bohemici Scriptores novis iterum figmentis instant, tenuibus certè, si diligenter ad ea attenderis. Regio tunc titulo *Vratislaum Bohemiæ* Principem ab *Henrico IV.* donatum fuisse scribunt, & in compensationem operæ Bohemicæ adversus Rudolphum Sveviæ Ducem præstitæ disertè professus dicitur Henricus; se de suâ & omnium Imperii Principum voluntate omnes honores, jura, prærogativas, ac ditiones veteris Moraviæ, & Regni Marcomannorum, ideòque *Poloniam, Moraviam, Silesiam,* Misniam, Russiam, & quicquid Reges Moraviæ vetusti unquam tenuerint, dare ac donare, Lusatiam verò inferiorem addere tanquam electionis in Imperiô possessionem. Magnum certè Bohemici Regni augmentum, nec sine dedecore & jacturâ Polonici Principatus admittendum; si *Æneæ Sylvio* talia tradenti fides haberi possit. Quis Sylvio in Poloniam affectus fuerit, *suprà* ostensum. Quam adversa veritati concludendi ratio, vel hoc ipso patet, dum Moravenorum Regibus Poloniam nunquam paruisse etiam *convenienti loco* evictum. Ridet meritò donationem rei alienæ *Jonston,* quod *Henricus* jus in Poloniam, quod

Controversia ventilatur de facto & jure Poloniæ Vratislao Bohemo ab Imperatore donatæ.

(1) *Per Poloniam Silesia ex errore intellecta.*

(2) *Polonia nunquã Morav. Regi paruit.*

(3) *vana esset alienatio Poloniæ in quã nullum Imperatori jus.*

quod nullum habebat, dederit: in *vitâ Henrici IV. p. 411.* Nulla donationis istius facta mentio, *in Vita Henrici IV. â quodam ejus temporis conscriptâ, publico verò donatâ â Pistoriô p. 181.* cùm tamen Bohemi militum Imperatori auxiliarium numero contineantur in *Carmine Heroicô de bello Henrici Saxonico: L. 3. p. 212. n. 31. versu sequ.*

(4) *ob defectum coaevorum annalium.*

Et Vestphalorum, Fresonum, Bojemiorum
exibant acies accitu Regis alacres.

(5) *recentiores ex errore dicto decepti.*

Paulo Langio in *Chronico Citizensi p. 778. n. 46.* cum *Æneâ Sylvio* idem de Poloniâ scribenti, idem replicare licet. Nec etiam tantæ autoritatis scriptor ille non adeò antiqvus, (qui anno 1520. circiter vixit) est, ut omni exceptione major sit: imò liberior in narrationibus, quàm par est, creditur fuisse, ut patet *in Vitis Autorum â Pistorio collectis.* Fabricium certè falso rumore deceptum fuisse ostendit hæc relatio *L. 3. p. 372. Vratislaus Bohemiæ & Poloniæ* (nisi fortè per hanc, Silesiam intellexerit) *Rex declaratur: cui suâ manu Imperator diadema imponit.* Consultò verò Poloniam inter donatas Bohemo regiones silentio præterit

(6.) *approbatur Sententia de donatâ Silesiâ.*

Becmannus Hist. c. 9. p. 704. etsi pleraque de hâc materiâ ex Æneâ Sylviô deprompserit. Erroris verò istius â Sylviô commissi causam hanc latere non sine fundamento suspiçor, quod Silesia, olim eo nomine nondum publicè cognita, Polonia cognominata fuerit, observante *id Dubravio L. 11. p. 101. circa finem*; quanquam veriori sensu pars Poloniæ dici debuisset. Polonis verò Silesiam

tunc

tunc subjectam fuisse fatetur *Dubravius L. 9. pag. 79.* consentiente Cromero *L. 4. pag. 80.* In hanc jus annui â Polonis Possessoribus Tributi, vi pacti, exigendi Bohemum sibi reservâsse, non impugnamus pertinaciter; additâ tamen illâ cautione summe necessariâ; tributum tale respectu certæ provinciæ debitum non afficere, eô ipsô, Regnum Pol. suspectâ quâdam ignobilioris subjectionis notâ. Ex isto itaque jure, *Bretislaus adversus Vladislaum Poloniæ Regem debitum annorum duorum tributum* (*mille argenti & triginta auri drachmæ fuerunt*, Sylvio 30. auri & CI. argenti marcæ fuisse creduntur c. 19.) *militem scripsisse & in Poloniam duxisse, ac tandem in Bohemiam cum longè majoribus Spoliis, quàm census erat debitus, rediisse* dicitur, apud Dubravium *L. 9. p. 79. in med.* Nectit porrò idem Auctor seriem historiæ præsentis, sequentibus verbis: *Gratissimus in reditu ejus adventus in Bohemiam, Boleslai Poloni ex sorore nepotis fuit, eò maximè quod non invitatus, sed suâ sponte, nec ut hospes tantùm, sed ut Aulicus futurus veniret. Concesserat filio pater Vladislaus roganti ut paulisper secederet, vitamque & mores aliarum quoque gentium introspiceret. Atque ille ad Bretislaum cognatum suum in Bohemiam se contulit, mansitque in aulâ ejus aulæ Magister, qui tunc Magistratus apud Bohemos honorificentissimus erat. Sed ut non solum honore sed censu quoque antecelleret Boleslaus, vectigal* (ratione Silesiæ Dubravium intellexisse antecedentia ostendunt verba *L. 7. pag. 62. Casimirum ut Vratislaviam Silesiæ præci-*

Dubravius de tributo exacto referens, Silesiæ respectu id factum, intelligendus.

An Boleslaus ideo tributarius, quod sponte obtulerit satisfactionem: vel ideo subjectus, quod à Bohemo officio quodam ornatus fuerit.

præci-

præcipuam urbem assequeretur, ne stipendiarii quidem & vectigalis Principis conditionem sustinere gravatum) quod ex Poloniâ afferebatur, ad eundem in solidum detulit. Brevi tamen post Vladislao adversâ valitudine graviter laborante in Poloniam revocatus est L. 9. p. 82. Discedit ab illo *Jordanus* Commentator, *Dubravii* ob intensiorem plus æquo in Patriam suam affectum pertæsus, Polonorumque relationi adstipulari iterum mavult verbis sequentibus: *Polonus Scriptor inquit, Bretislaum conspectum nepotis è sorore Boleslai desiderantem eò venisse Boleslaum, paucos dies commoratum arce Cœmenicia donatum, paulò post ad patrem fuisse reversum. in Notis ad L. 9. Lit. O. p. 83.* Demus verò & hic *Dubravio* vinctas manus; Boleslaum nempè officio Magistri aulæ à Bohemo ornatum, & Silesiæ respectu certum vectigal huic oblatum. Parum profectò nocebunt tela ista, utpote quorum acies iterato sæpe jactu in libertatem Regni nostri hactenus tentata, hebes tandem ac obtusa reddita est. Summam prætereà modestiæ laudem meretur *Boleslaus* quod, jubente vel connivente patre *Vladislao*, ad avertendos à bello accendendo animos, sponte Bohemo, desideratum ab hoc, jure vel injuriâ, obtulerit vectigal; cum armorum vi eò adigi non potuisset: *fatente ipso Dubravio.* Hinc si fortè ob negatū Silesiæ intuitu tributum, justo à Bohemorum Rege bello petitus est Boleslaus; absterfit certè hanc injustitiæ notam, satisfactionem hosti offerendo; pia hoc

Resp. neg. (1.) Jordanus à Dubravio discedit & Poloni diversum referunt.

(2.) nec dignitas accepta, aut tributum respectu certæ provinciæ præstitū solide probant.

(3) Si injusta Polonorū causa fuit, justa reddita per oblationem satisfactionis.

hoc ipsi reddens arma sua & felicia: *ut id ex sequentibus annalibus patebit.* Sic enim & Ezechias olim, cum fœdere non stetisset, quod cum Rege Assyrio majores ejus pepigerant, bello petitus fatetur culpam, & Regi permittit arbitrium mulctæ: Idque cum fecisset & posteà bello lacesseretur, fretus bonâ conscientiâ vim hostium sustinuit, & Deum habuit faventem. Pontius Samnis, post res Romanis redditas; *Expiatum,* inquit, *est, quicquid ex fœdere rupto irarum in nos cœlestium fuit. Satis scio quibuscunque diis cordi fuit subigi nos ad necessitatem dedendi res, iis non fuisse tam superbi à Romanis fœderis expiationem spretam. Mox, quid ultra tibi Romane, quid fœderi, quid Diis arbitris fœderis debeo? Quem tibi tuarum irarum, quem meorum suppliciorum judicem feram? Neminem neque populum, neque privatum, fugio.* Sic cum Thebani omnia æqua obtulissent Lacedæmoniis, ii autem ultrà tenderent, *bonam causam ab his ad illos* transiisse, ait Aristid. *Leuctrica prima.* Grotio & Commentatoribus id fusiùs illustrantibus *in notis ad L. 2. c. 1. thesi 18. num. 2.* Eâdem censurâ repressisse sufficeret Hagecum, qui, Vladislaum, scribit, illâ tam *acri Bretislai in ditionem suam invasione consternatum statim avertendi belli causâ, Oratores ad eum, cum tributo duorum annorum misisse, deincepsque perpetuò se & posteros suos Bohemorum Principibus vectigales fore promisisse, atque ita pacem impetrasse.* Duriùs tamen eum increpat, quanquàm non

(4.) *Hagecus non immeritus durius erroris sui convincitur à Cromero.* non immeritum *Cromerus*: *Homo ridiculus*, inquit, *cui pueriliter & leviter tanquam inter aniculas garrire studium est. Nec tamen memorat is, quomodo aut quando tributum illud ante id tempus Vladislao fuerit impositum, quod quasi debitum etiam superiori anno dependisse eum scribit l. 5. p. 97. Conferantur rationes non debiti nec præstiti tributi passim suprà exhibitæ.* Fulgur itaque ex pelvi fuit, quodcunque ab exteris in Poloniæ Regnum vibratum vidimus.

§. III.

Boleslaus III. succedit. Mortuo *Vladislao* anno 1102, Poloniæ ex decretô patris divisæ pars altera â *Boleslao III.* filio, summo Imperio obtenta, altera *Sbigneo* fratri concessa fuit. Non satis ex hâc divisione conservandæ Regionis libertati consultum videbatur. Euilescere enim solet Regiæ Autoritatis *Divisio Regni nociva.* splendor; Regnumque in partes distractum vim ac nomen penitùs amittere, doctè demonstravit *Arum*: *ad auream Bullam disput. 6. n. 33.* Imò attenuatæ illæ per partitionem Reipublicæ Polonicæ vires seges esse potuissent potentiæ Imperatoriæ, nisi Boleslaus animi sui magnitudine defectum illarum supplevisset. Cæterùm irritus in Poloniam hactenùs Bohemorum conatus vires *Henricus V. bellum in Polonos movet.* recipit ex *Henrici V.* anno 1107. ad Imperium evecti veteri æmulatione subigendi in provinciam Poloniæ regnum. Junctis enim copiis Imperator Silesiam invadit & *Glogoviam* polonicô

cô præsidio munitam obsidione cingit; Quâ verò Polonorum virtute, quove successu confectum fuerit bellum istud, annales nostri longo ordine, exhibent. In Summam verò contrahenda erunt pleraque, & ea præcipuè proponenda, quæ præsenti argumento inserviant. Boleslaus ratus Cæsarem non satis auspicati belli jam pertæsum, simul quod hyems instabat, faciliorem placidioremque fore, legatos ad eum de pace misit. Edit ille pacis conditiones, ut Sbigneus in *Pacis conditiones duras præcebit; quæ non acceptæ.* Principatum suum restituatur & *ut Poloni tributarii sint Romano Imperio.* Duræ videbantur legatis conditiones: neque existimabant Principem eas accepturum esse. Ibi Henricus Cæsar ambitiosè admodum & arrogànter, ostendens Legatis thesaurum, quem ingentem habebat: Hic, inquit, Polonos perdomabit. Erat legationis Princeps *Scarbicus* Comes ex eâ gente, quæ insigne habet M literæ geminæ majusculæ: hic stultam Cæsaris jactantiam notans, annulo, quem digito gestabat, in thesaurum projecto: Aurum, inquit, adjiciamus auro. Id scomma intellectum Cæsar elusit, lingvâ inquiens Germanicâ, Hab danck/ quod est, gratias ago; inde mansit familiæ id nomen, ut *Habdankii* dicantur. Reversi ad Boleslaum Legati mandata Cæsaris referunt. Mirari ille conditionum iniquitatem, quasi *victor victis leges imponeret*, ac non dubia adhuc esset Martis alea: itaque quam non impetrabat pacem, vi & armis extorquere pergit: Cæsarique nullam dat pabulandi, commeatus petendi, atque

atque adeò è castris prodeundi facultatem; quibus malis fatigati Germani, majoraque metuentes, aliò transferre bellum statuunt: ideoque soluta Gloviæ obsidione, Vratislaviam urbem instructâ acie contendunt: quò magno cum labore & cæde suorum Cæsar venit. Post hanc pugnam clariùs jam, quàm antehac, Boleslai Poloni nomen apud Germanos, factum est: tum & pacem Henricus cum Boleslao facere cupiebat: sed offerre eam ultrò, quam dudum à se petitam negarat, turpe sibi ducebat: ideoque *communes ad extremum amicos subornavit, qui Boleslao persvaderent, ut ipse eam à Cæsare peteret*, ac de voluntate ipsius prolixè illi pollicerentur. Vicit animum suum Boleslaus, ut ipse ad Cæsarem (oppidum id est Franconiæ) splendido apparatu & comitatu proficisceretur: adveniens comiter & honorificè acceptus est â Cæsare, novâq; affinitate sempiterna amicitia inter ipsos Principes & posteros ipsorum sancitur & stabilitur. Nam Boleslaus Henrici Sororem Adleidam uxorem duxit: & filio suo Vladislao, impuberi adhuc Christinam ejusdē Cæsaris filiam (vel agnatam) parvulam despondit. Peractis autem magnâ celebritate & summâ omnium lætitiâ nuptiis, datis & acceptis ultro citroq; magnis muneribus, Boleslaus in Poloniam revertit: Apud *Herburtum L. 4. c. 5.* Germani Scriptores â Polonis dissentiunt, interprete illorum Curæo *Annalium Silesiæ p. 47.* verbis sequentibus: *Atque ut taceam cæteros, historicus gravis & prudens Abbas Urspergensis, qui illam*

Victus Cæsar pacem per subornatos quosdā Principes â Boleslao impetrat.

A Polonis dissentiunt Germani Scriptores quidam.

illam ætatem attigit, de his rebus talia scribit. Posthæc ad Polonos, gentem longinquam, movit exercitum: multoque ibi ac diutino desudans labore, diu negatum â terra illa tributi exegit debitum. Existimare igitur possumus, concurrisse causas belli plures, inter quas tamen hæc fuit præcipua, quod Poloni pensionem constitutam sub Ottone, & renovatam sub Casimiro Monacho negarent. Jungendus Curæo *Mutius* infensissimus odiosæ causæ Patronus *in Chronico Germaniæ L. XVII. p. 130. n. 53.* Nihil nos moratur *Abbatis Urspergensis* (ex quo pleraque deprompta) autoritas, ubi veritas ab ipso pluribus modis infracta est, vel ignorantiâ Reipublicæ exteræ, vel libidine assentandi, vel odio adversus hostes. Fatetur enim ipse, *Imperatorem multô ac diutinô labore eo in bello desudâsse:* Fatentur Bohemiæ & Germaniæ Scriptores, Cæsarianis maximam partem cæsis, & reliquis in fugam conversis, Imperatorem è Poloniâ in Germaniam secedere coactum fuisse. Eorum numero sunt *Cosmas* Pragensis Monachus Pegav. A. IIII. *Cyr: Spangenberg Chron. Mansfeld. c. 211. & 212. Paulus Stranski in Republ. Bohem. c. 8. Bangertus in comment. chron. Slavici Helmoldi c. 40. p. 102.* quibus addatur *Dubravius* antiqvus Scriptor Bohemus *in Hist. Bohem. p. 86. in med. p. 89. circa finem usque ad medium pag. 90.* Ubi finem historiæ præsenti imponit verbis sequentibus: *Sed nihilò secius tàm castra, quàm obsidio ab illis* (sc. Cæsarianis & Bohemis) *soluta sunt, Cæsare quoque*

Refutantur (1) ex propria confessione: multo ac diuturno bello desudasse Imperatorem.

(2.) â testimonio Bohemicorū Annalium.

quoque inde per indignationem abeunte. Cautiùs (3) *à diversâ relatione Abbatis Stadensis.* scribit *Abbas Stadensis*, *Henricum nempe Poloniam cum exercitu ingressum eâque vastata reversum. Ad annum 1109.* Qui potuit ergò jam victus Imperator imperare aliis, & à Victore Boleslaô exigare tributum? cujus sequelæ absurditatem deductam vide *Sect. V.* A muneribus verò sibi invicem oblatis, quàm imbelle sit argumentum, ibidem expositum.

§. IV.

Boleslai in Daniam expeditio à Scriptoribus Pol. traditur. De *Boleslai III.* in Daniam factâ expeditione gloriosè scribunt Poloni. Causa ejus expeditionis creditur fuisse *Petrus* clari & illustri apud Danos ortus familiâ, qui Boleslaum in vindictam patrati ab Abele Fratre Regio in Henricum Regem parricidii animaverat. *Boleslaus* ergò circa annum 1124. in Daniam cum valido exercitu penetrat, Abelem ejicit, Danisque copiam facit novum Regem, quem vellent, eligendi: Habent id *Matthias Michovius L. 3. c. 14. Gvagvinus in chron. suo in vita Boleslai III. Cromerus L. 5. p. 125. & ex eo Herburtus L. 4. c. 9.* *Negatur illa à Danicis?* Danorum chronicorum Compilatores rem istam aut ignorare aut dissimulare student, testanturque parricidium Abelis in Henricum seu Ericum demùm A. 1251. admissum. Unde Pontanus cum Historiam è Polonorum Annalibus recensuisset: *Cùm ista*, subjicit, *Boleslao III. cui Cruovisto cognomen fuit, quique A. 1134. integra plus seculo, antequam ad Regnum promoveretur, imò natus esset Abelus, in fata concesserat, attribuunt, quomodo ad hos annus 1250. aut res Abelis pertineant, non video: nisi res & tempora hic esse confusa ac veris falsa commixta dicamus. Danici Annales nihil ejusmodi vel isto, aut alio etiam tempore accidisse commemorant. Silesiorum interim Historia mentionem injicit Petri Duviui Dani, cujus Parens Gvilielmus fuerit, mortui sub A. 1149. Rer. Dan. L. VII. p. 319.* Fatetur verò ipse Pontanus Petrum quendam ea ætate fuisse, quem inter competitores Regni Daniæ numerat *Otto Frisingensis* Scriptor coëvus *L. 2. de gestis Friderici Imperatoris c. 5. & Cromerus* Petrum Danum iisdem temporibus vixisse, ex monumentis 77. templorum in Polonia exstructorum, probat *pag. 126.* *Quibus fides habenda?* Sed Danicos Scriptores hic refutare animus mihi non est, cùm gloria gentis nostræ nullam ex negatâ Boleslai in Daniam expeditione sui jacturam patiatur: nec tamen etiam ulla Regno Daniæ ex nostrâ assertione infertur injuria. Boleslaum enim in Daniam bellum suscepisse ex nostris annalibus retulimus, sed non nisi ad juris alieni pro aliô consecutionem, nec susceptum gessisse, nisi intra juris ac fidei modum. *Domestica certè virtus est, quæ consortem adjuvat.*

§. V.

Residuum Vitæ *Boleslaus* noster exegit, *Lothario* ab A. 1126. ad A. 1138. Imperii fasces tenente. Immensum interea exarserat bellum *Bellum Bohemi cum recrudescit.*

lum inter Sobislaum Bohemum & Boleslaum Polonum A. 1133. & seqv. Componendum id in se susceperat Lotharius; mittuntur ad Boleslaum Legati postulantes, ut *judicio seu arbitrio Cæsaris* potiùs, quam armis cum Boemo de injuriis disceptet: *illum Cæsaris esse tributarium:* à Cæsare ad æqua omnia coactum iri, si legatos ad Cæsarem cum summâ potestate Boleslaus mitteret: aut si ipse eò proficisci dignaretur, quod quidem futurum esset Cæsari gratissimum. Hoc eò faciebat Lotharius, quia in Italiam festinabat, nec volebat Boemum Polonico Bello distineri, quò minùs auxilia ex fœdere sibi mitteret. Proficiscitur Boleslaus ipse Bambergam ad Cæsarem perquàm splendido Comitatu. Venerat & eodem Boemus. Tentatur pax inter diffidentes principes: quæ cum coire non posset, tamen ne magis irritatis animis discederent, trium annorum inducias, instante maximè & orante Cæsare, inter se paciscuntur. *Cromerus. L. 5. p. 131.* Non multò aliter rem enarrat *Dubravius l. 11. à medio. p. 101. ad medium p. 102.* *Mutius* diversum scribit, non sine ignominiâ gentis nostræ admittendum, verbis sequentibus: *Itaque per Germaniam, pace florente, nullis palam discordantibus parat expeditionem in Polonos, qui rebellabant, & tributum debitum dare recusabant. Poloni verò bellum timentes, Imperatori obviam mittunt Ducem suum cum magnis muneribus, quem occurrentem in Saxoniâ ad se admittere noluit, nisi tributum priùs persolveret, quod*

Lotharius arbitrium suum interponit.

Et induciæ panguntur.

Mutius acerbior in Polonos belli causam profert hanc; negatũ sc. tributum, quod tandem ab ipsis exactum.

quod duodecim annis non solvebant; debebant autem singulis annis quingentas libras, præterea jurarent se obtemperaturos Imperio in perpetuum. Hæc omnia Dux fecit, & præterea dona dedit magna, atque in hunc modũ pacem fecit cum Polonis. in Chron. Germ. l. 17. p. 136. num. 40. *Abbas Stadensis*, antiquior Scriptor, expeditionis *Boemicæ* & fœderis cum *Henrico Obotritarum* Slavorum Rege pacti tântùm meminit. *in Chron. ad annum 1126. pag. 156. & ad ann. 1133. p. 157. 158. 159. 160.* *Robertus de Monte* Bohemos â Lothario victos scribit: *ad annum 1127.* Confer: *Hermannus de Lerb.* qui anno 1125. prælium cùm Bohemis commissum fuisse refert. p. 10. Alii A. 1126. nonnulli etiam A. 1127. id accidisse volunt, observantibus id Meibomio in *notis ad Herm. de Lerb. p. 48.* & Bangerto *l. 1. c. 50. p. 121.* In his & reliquis antiquioribus Annalibus altum de negotio cum Polonis intercedente silentium. Vestigia quidem ejus rei reperire licet in *Chron. montis Sereni:* nempe *Uldaricum Bohemum & Boleslaum Polonum in aulâ Imperatoris fuisse, ubi etiam Boleslaus gladium Imperatori reportasse dicitur ad A. 1135. p. 83. & 84.* (quæ gladii portatio illâ ætate signum Regiæ dignitatis erat, innuente id passim Ottone Frisingensi.) Ast nec ista libertati Regni nostri quicquam detrahunt, quin potiùs Regibus nostris conservatam fuisse dignitatem Regiam manifestè ostendunt. *Otto Frisingensis* diversam etiam à mente

Refutatur (1) a Silentio antiquiorum, qui non Polonos sed Bohemos ab Imperatore devictos scribunt.

(2) Boleslaus ab Imperatore pro Rege & amico habitus.

(3) Ottonis Frisingensis coaevi testimonio; tributum non Poloniae sed Pomeraniae respectu exactum.

mente adversæ partis tradit relationem: *Lotharius*, inquit, *in Saxoniam divertens, Polonorum Ducem cum multis muneribus obviam habuit, quem tamen non ante dignatus est suo conspectui præsentari, quam tributum XII. annorum, h. e. D. libras ad singulos annos persolveret & de Pomeranis & Rugis homagium sibi faceret, subjectionemque perpetuam sacramento confirmaret. Iisdem ferè verbis refert Theodorus Engelhusius in Chronico. in Vitâ Luderi seu Lotharii p. 221. & in Imperatorum ex Ducum Brunsu. domo Oriund. Vitis p. 58.* Nullum ex istis Autoribus libertati Poloniæ exitium imminet. Tributum enim, quod à Boleslao exactum, *non Poloniæ sed Pomeraniæ & Rugiæ* nomine præstitum fuisse, ex citatis modò verbis patet.

Sequitur eum Engelshusius.

Idem refert Duglossus antiquus Scriptor; quanquam neget præstitũ esse.

Ac noster quoque *Duglossus* ad rem ita scribit; *Lotharium à Boleslao tributum Pomeraniæ Rugiæque nomine tanquam ad Romanum Imperium pertinentium poposcisse:* addens tamen mox, *Boleslaum illud negasse, quod eas suas provincias esse affirmaret.* Quâ de re inferiùs pluribus agetur. Sit tamen ita; præstita etiam Pomeraniæ & Rugiæ nomine fuisse tributa, nihil inde Juris in Regnum Poloniæ Lothario acquisitum, ex consimili casu Sectione V. ventilato videre licet. Sed multùm interfuit Lotharii, hujusmodi rumores in vulgus spargi, ut præceps jam in ruinam Imperium famâ sustineretur.

§. VI.

Novum verò hic emergit argumentum, quod prodesse

prodesse posset adversæ parti: Imperatores nempe *mundi Dominos* dici & vi hujus tituli in remotissimos hactenus populos Jus Imperandi habere. Et jam inde à Lotharii Cæsaris temporibus hunc titulum Imperatoribus tribuerunt Romani Juris Doctores, eumque magnificè illustrat *Petrus de Andlo l. 2. de Imperio Romano c. 8. Bartholusq́;* ausus est pronunciare, *hæreticum esse, qui Imperatores non agnoscit mundi Dominos.* Rident tituli istius vanitatẽ Bodinus *de Republ. L. 1. c. 9.* & Grotius *l. 2. c. 22. thesi. 13.* Terrarum enim Orbis nullo unquam tempore totus & integer Romanis Imperatoribus fuit subjectus & ne Europa quidem tota, multò minùs Africa & Asia, observante id Ziglero *in notis ad dictum locum Grotii. Conf. observ. Nostræ. Grotianæ Parallelæ ad Schnobelium. dissert. 9. §. 12.* Claudamus verò præsentem materiam Judicio Bodini: Quæ verba *(Imperator Mundi Dominus) ait ille*, cùm ad Pompam & dignitatis amplificandæ causâ dicta sint, refutatione minùs egent. *p. 203.* Decessit tandem *Boleslaus* anno 1139. cum *Lotharius* eum proximo anno antecessisset. Quanta fuerit nostri Principis Virtus & Gloria, inde æstimetur, quod scribitur, quadragies septies eum justâ acie conflixisse & semper fuisse victorem. Vixit annos 53. imperavit triginta sex. Temperamenti fuit medii inter sangvineum & Melancholicum, penè sicut Alexander Magnus. Ideo similis ferè in ipso fuit ad præliandum ardor, & periculorum motusque

An ideo eximendi tributa jus habuit; quod dictus sit mundi Dominus.

Refutatur id breviter.

Mors Lotharii & Boleslai.

Laus Boleslai semper Victoris ex Germaniæ Scriptore.

tisque contemtus. Hæc Cureus Scriptor Germanus *in Annalibus Silesiæ. p. 50.*

§. VII.

Vladislaus I. succedit in parte regni & reliquis fratribus reliquæ provinciæ distributæ.

Boleslao III. Rebus humanis exempto, partitione Regni ex testamento Patris factâ, *Vladislao* quidem natu maximo Cracoviensis, Siradiensis & Lenciciensis tractus, itemque Silesia obtigêre: *Boleslao*, qui *Crispus* appellatus est, Masovia & Cujavia, Culmensisque ac Dobrinensis tractus: *Miecziflao* Gnesnensis, Posnaniensis, Calissiensis & Pomerania: *Henrico* Sendomiriensis atque Lublinensis. *Cazimirus* verò infans exors, quemadmodum Pater voluerat, à Vladislao curandus atque educandus susceptus est. Ita ad suas quisque ditiones & quasi satrapias discessêre, ut Vladislaum tamen Principem agnoscerent, ejusque majestatem comiter conservarent. Mutatâ jam forma Reipublicæ, imminutâque virium, quæ junctæ fortiores fuissent, potentiâ, vicinorum arma non diu quievêre. Magis verò turbarunt Reipublicæ statum intestini motus à *Christinâ* uxore Vladislai, fœminâ superbâ, avarâ & ambitiosâ excitati. Illa enim contemptim Polonos habere, à conspectu suo repellere, aliena concupiscere, eripiendas armorum vi fratribus Vladislai provincias svadere marito, ut universum ita Principatum ad se pertraheret; malo consilio consultrici pessimo. Pulsus enim regno cum uxore Vladislaus in Germaniam

Pellitur Vladislaus cum uxore Regno.

niam confugerat, à *Conrado III.* Lotharii successore, opem imploraturus, spe tamen magis quàm auxilio delinitus. Exacto itaque cum uxore & liberis Vladislao, *Cunradus*, ne illius causam penitus deseruisse videatur, apud *Boleslaum Crispum*, qui tunc summam rerum tenebat, legatione primùm, postea armis experitur, sed irrito conatu. Prævaluit bonæ causæ fiducia in Boleslao, ut nec petitis subscriberet, nec armis cederet; dum interim novi etiam motus in Germania exorti ad rerum domesticarum curam revocabant Cunradum. *Habent id conspirantibus scriptis Annales Poloniæ.* Cromerus insuper addit: *Acceptâ fide Boleslaus in castra ad Imperatorem venit, factâque publicâ audientiâ, Vladislai fratris facinora & peccata omnia, in se ac cæteros fratres, & in omnes ordines Reipubl. Polonæ luculentâ oratione exposuit: necessariam expulsionem, justamque restituendi ejus recusationem suam & universæ Reipubl. excusavit: necessitudinem suam cum Conrado majorem, quam Vladislai commemoravit: studia & officia sua nonnulla in Cæsarem & Germanos modestè refricavit: ne cognatum & Christianum sangvinem sitirent, neu se ad extrema adigerent, oravit. Munera etiam non contemnenda Cæsari & nonnullis Principibus maximeque iis, quos gratia plurimùm valere apud Cæsarem didicerat, privatim misit. Ita poscente Boleslao, svadentibus primoribus, ad sua defendenda festinantibus militibus, ipso Cæsare ductum iri diutius opinione suâ bellum animadvertente,*

Subsistitur illi Boleslao IV.

Cæsar restitutionē Vladislai urget sed recusatur à Boleslao.

vertente, & ad componendas res domesticas festinante, bellum illud statim solutum est: dimissusque postridie exercitus, nequicquam reclamante Vladislao exule: & item Bohemorum Principe, non tam exulis rem agente quam Polonis inimico. l. 6. pag. 145. Non destitit interim Vladislaus Cæsarem ad arma contra Polonos capessenda impellere; sed hic morte præventus A. 1153 Poloniam armis vexare desiit. *Conringius* in monumentis Germanicis, haud clarè, quid Conrado Cæsare circa Polonos acciderit, legi fatetur. Bonæ causæ præsidio instructi eruamus jam illa, in lucem producturi, quæcunque præjudicium afferre possint. Ita enim *Chronicon Montis Sereni: Conradus Rex cùm Conventum haberet, Vladislaus Generejus ipsum adiit & recepto ab eo Poloniæ ducatu, fratres suos exhæredare conatus est. Denique cùm reversus Civitatem Posnam cum exercitu obsideret, fratres ejus collectis paucis ex improviso ei irruentes multos de exercitu ejus postraverunt. Unde coactus est pacem cum eis firmare juramento. Sed ut patefieret perfidia ipsius divino judicio terra in loco ipso juramenti, ut fertur, sanguinei fluminis patefecit abyssum. Postea post multas clades fratribus illatas à patriâ expulsus est. Rex verò collecto exercitu Poloniam ad restituendum generum ingressus est. Fratres autem ad resistendum parati semitas observantes Regem ingredi prohibebant. Tandem Consilio Adelberti & Conradi Marchionis obsidibus vicissim datis, regem adeunt & pro-*

Morte præventus Poloniam infestare desiit.

Conringius monumenta Germanica nulla citat.

Producuntur à nobis pro adversâ parte Autor Chronici Montis Sereni & Engelhusius.

promissâ pecuniâ Patriam ab ipso suscipiunt, juniore fratre obside dato, ad A. 1156. Quæ quidem suo sensu abundare patior; cum magis faveant Boleslao quam Vladislao exuli, nec tributi hîc ullâ mentio. Nugas vero profert *Engelhusius*, dum *Conradum tertium contra rebellantem Ducem Poloniæ, qui duxit sororem ejus in uxorem, bellum gessisse, sed victum pane tribulationis sustentasse, scribit p. 61. & 62.* Miror Hartknochio Engelhusium ita imposuisse, ut de Poloniæ Rege rectè eum sensisse crediderit; cùm tamen res gestæ partem Historiæ Bohemicæ faciant. *Gotofredus Viterbiensis & Otto Frisingensis* Conradi III. & Friderici I. Imperatorum coævi Scriptores nullam ejus rei mentionem faciunt, nihil certe prætermissuri, quo cumulus Gloriæ, ex subacto Poloniæ Principatu, Imperio Romano accedere potuisset. Testatur verò ipse *Otto Frisingensis* Vladislaum hunc (de quo præsens agitur negotium) non Poloniæ sed Bohemiæ fuisse Principem, circumstantiis quoque eidem causæ propriis hîc convenientibus *Eo tempore*, inquit, *Conradus Moraviensis comes, conspiratione factâ cum Bohemis, ducatum illius terræ affectans, de Moravia in Bohemiam exercitum ducit. Cui cum Dux Ladislaus cum copiis occurrere parat, à suis proditus, fugæ præsidio vix periculum mortis evasit. Sicque profugus ad regem veniens, casum suum deplorat. Quem Rex misericordia motus, cum exercitu in Bohemiam reduxit, ac Pentecoste in urbe Pragâ provinciæ illius metropoli celebra-*

Refutantur, ab confusam Bohemiæ cum Poloniæ belli historiam.

(1) à Silentio coævorũ.

(2) iidem Coævi rem gestâ ad Historiam Bohemicâ trahunt.

ta Conrado fugato, in ducatum restituit. lib. 7. c. 26. principio. Ejusdem *Lobislai* seu *Vladislai Bohemorum Principis* fata describit *Radevicus*, Continuator *Ottonis*, immemor sui Antecessoris; dum, quæ *Otto* historiæ *Lobislai Bohemi* inserit, hic ad vitam Vladislai Poloni vi quâdam ingrata trahit. *L. 1. c. 2.* Cum enim paulò antè de Polonia egisset: *At hujus*, ait, *expeditionis hæc ratio fuit. Boitzlaus, Cazimerus, & tertius idem Lobizlaus, qui Gertrudem neptem Imperatoris, filiam Leopaldi Marchionis Austriæ sortitus fuerat uxorem, totam terram funiculo hæreditatis tenere debebant. Majore natu, quem ultimo posuimus loco, nomen & honorem Ducis habente. Quo à fratribus per vim cum regalis sangvinis uxore projecto & ad Conradum Romani Imperii tunc Principem perfugo profecto, & clementer recepto: missa ad prænominatos tyrannos crebrâ legatione, ut in pristinum statum fratrem reciperent, rex spretus est, Ducisque exilium usque ad Regis obitum duravit. l. 1. c. 2.* Ottonis veriorem agnoscit relationem *Dubravius*, Scriptor Bohemus, clariorem addens ex patriis annalibus depromptam de Conjugio Ladislai Bohemi interpretationē. Scribit enim, *Gertrudem sororem Conradi Imperatoris, (vel ejus proximam agnatam) ex Imperatorum familiâ descendentē non Poloniæ Regi sed Bohemiæ Principi Vladislao dicto desponsatam fuisse. l. 12. p. 106. principio & 100.* in medio. Quam Gertrudem filiam Leopaldi & agnatam Conradi Imperatoris fuisse, testis etiam est *Otto de S. Blasio* in append. *ad Chronicon Ottonis Frising. c. 3.* diversam certe â conjuge Vladislai Poloni, cui Christina Conradi Soror conjugio juncta erat. Boleslao verò nulla ex conjugio cum Cæsare intercessit Affinitas. Referunt enim annales Poloniæ, Boleslaum & Mieczeslaum, Polonos fratres, uxores duxisse Sorores Germanas Vusevolodomiri Hallicienſium Principis filias, apud *Herburtum l. 5. c. 5.* circa quæ tempora Soror Cæsaris alii cuidam Vladislao (qui forte Bohemus) desponsata dicitur *Engelhusio.* Nec ex ullis annalibus constat, Boleslaum carcere detentum & tam misere habitum; ut vult Engelhusius. Conradum verò Moraviensem Marchionem, Vladislao Bohemo rebellem factum, ab Imperatore victum & fortè misere habitum haud obscurè innuit Otto Frisingensis dicto loco, nempe *l. 7. c. 26.* eandemq; rem haud absimilibus circumstantiis deductam tradit Dubravius *dicto loco.* Et is quidem de Boleslai & Vladislai exulis Polonorum etiam bello, ejusque progressu ac exitu diversam longe à mente adversæ partis nectit historiam, cum patriis tamen annalibus convenientem. *Cæsare*, inquit, *in regressu Poloniam pertranseunte, ut Vladislaum Poloniæ Principem, à fratribus suis regno proturbatum in locum, quem amisit, reponeret, occurrit ei Vladislaus cum Bojemorum copiis auxiliariis, quarum studium, Christiana Vladislai Poloni conjunx, quæ pariter, ut Vladislai Bohemi uxor, de Domo Cæsaris erat.*

(3) *Ladislaus Bohemus exul ad Imperatorem confugit.*

(4) *idem Gertrudem in matrimonio habuit, affinis Cæsaris factus.*

Bohemici Annales cum coævis & Polonis conveniunt.

erat, se marito suo adjunxit. Boleslaus Crispus qui principatum invaserat, postquàm imparem se agnovit, ut cum duobus exercitibus acie decerneret, nullum certum locum castris capere, sed huc illucq; cum expeditis equitum turmis, haud tamen longè ab hostibus volitare, ut pabulatores anteverteret, commeatuque illos fraudaret, non omissâ interim actione, quâ cum Cæsare per internuncios agebat, de reconciliandâ cum fratre gratiâ. Volebat Cæsar, ut ante omnia spoliatus in integrùm restitueretur: ac Boleslaus ei nonnullas arces in Silesiâ possidendas, donec de controversiâ in conventu omnium in regno Poloniæ ordinum decideretur, obtrudebat. Atque hæc conditio ut prævaleret, tædium longioris militiæ in causâ fuit, cujus Germanos memoria prioris famis jam dudum tædebat. Sed nec in conventu transigi negotium potuit, non tam Vladislao, quam Christina uxore, apud Polonos implacabili odio laborante propter fastidium ejus gentis, quam sic fastidiosè despiciebat, ut ne ministerio quidem ullo in aulâ suâ Germanis referta, dignos duceret, sed abigendos eos ab illâ curaret, quasi agrestes, inconcinnosque & haris potius ob sordes, uti dicebat, quam aulis aptiores. Quò minùs tamen expeditio in Poloniam restaurata fuerit, nihil aliud, quam obitus Cunradi Cæsaris immaturus illam interpellavit. l. 12. p. 108. & 109.

§. VIII.

Expeditio Friderici I. in Poloniam sed irrito conatu.

Fridericus I. Barbarossa, post excessum *Conradi III.* imperiali diademate ornatus, iisdem flabellis *Vladislao* Polono exule, & *Vladislao Bohemo* excitatus expeditionem in Polonos decernit, ac initio quidem de restituendo Vladislao Legatos ad Boleslaum mittit. Re tamen infectâ, cum Poloni quidvis potiùs passuri essent, quam Vladislaum recepturi; ad arma deventum. Poloni in hoc bello nusquâm apertè cum Cæsareano exercitu confligebant, sed ex insidiis tantum vim illi faciebant iteratam: Civitates & Oppida, quâ iter facturum esse Imperatorem suspicabantur, ipsi comburebant, munitiones dejiciebant, ita ut nec progredi rectè Imperator propter pabuli & commeatûs inopiam, neque vestigium ponere firmo aliquo & munito loco posset, accedente simul & invalescente peste, quæ universum ferè exercitum absumpserat. Quibus rebus permotus Fridericus de reducendo exercitu cogitare cœpit, dum interim *Boleslaus, qui ab Imperatore vinci non potuit, naturæ non dedignatur obedire Imperio, & gratuito amplexu fraternos* (seu Patruos) *ab exilio excipiens eosque sacrâ Sileucii donat provinciâ, tam ob gratiæ insigne, quam ob orbitatis solatium.* Quam relationem etsi minùs usitatis ac elegantibus quibusdam verbis compilatam ex coævo Scriptore *Kadlubcone* depromere ratum duxi, ut eò magis rei veritas innotesceret. Nulla hic tributi ab Imperatore exacti aut à Boleslao vel munerum etiam præstitorum injecta mentio. Nec video, cur tam temerè deneganda sit fides Authori huic tam antiquo, & qui non pruritu scribendi, sed invitus ferè *jussu*

Kadlubkoni in coævis fides non deneganda, etsi in antiquis dubia sit.

Cazi-

Cazimiri Regis, quæ ipse oculis suis vidit memoriæ tradidit, ut videre est in *ejusdem l. 4. c. 1. & Commentatore ejusd. p. 385.* Nec potuit etiam *Kadlubco* noster tum malâ fide agere, cum omnia hæc in recenti omnium memoriâ hærerent; etsi non negem fabulam sapere, quæ de primis Poloniæ Ducibus ab ipso tradita; more illius ætatis, qua paucissimi scriptores, ob defectum monumentorum justam tenuêre in describendis majorum laudibus moderationem. Habentur verò illa, quæ de bello Imperatorio Polono tradita sunt apud Kadlubconem *l. 3. Epist. 31. p. 370. 371. 372. & apud Commentatorem ejus p. 378.* Cromerus, nescio quem secutus Authorem, refert, legatos Imperatoris non tantùm Vladislai receptionem, verùm etiam tributi, quod fortasse pollicebatur Vladislaus exul Imperatori Romano, præstationem ursisse; quanquam negatum ab Polonis utrumque fuisse scribat. *l. 6. p. 147.* Paulò etiam aliter, quàm Kadlubco, describit pacis inter Imperatorem & Polonum initæ conditiones verb. seq. *Imperator turpe & ignominiosum sibi fore credens, aut pacem ultrò offerre aut rebus infectis retrocedere. Eum sensum Imperatoris, cum probè calleret Bohemorum princeps, sive jussus, sive pertæsus & ipse belli, agit cum Polonis, ut de pace ad Imperatorem mittant, aut ipsi veniant: sperare se, ac recipere, æquis conditionibus eam iri compositum. Placabiliorem enim ipsis Fridericum se reddidisse. Amplectuntur nostri ejus consilium, petitâ acceptaq; fide*

Cromerus Tributũ ab Imperatore desideratum à Polonis negatũ scribit.

fide, ad hostem proficiscuntur: ibi multis ultrò citroque habitis sermonibus, pax tandem his legibus constituitur. Ut Vladislaus ad Silesiæ Dominatum modo restituatur, cæteris se abstineat: & ut Boleslaus unà cum fratribus trecentos hastatos equites Friderico in auxilium ad Mediolanense, sive Longobardicum bellum mittat. Et quo firmior hæc pax sit, Adleidam Imperatoris sororis filiam Miecislaus tertiam uxorem ducit. p. 148. Quod ad restitutionem Vladislai attinet perplexus hic est *Duglossus*; nam cum restitutionem illam, quam postea Fridericus velut sanctè promissam, mortuo Vladislao liberis ejus efflagitavit, in pactis fuisse memorasset, paulò post subjicit, *Boleslaum recipisse Imperatori, se ad natalem Christi Dei nostri Magdeburgum venturum esse, & Polonis Bohemisque disceptatoribus arbitris de expulsione & restitutione Vladislai fratris, usurum: quod tamen non præstiterit.* Opponit Annalibus Polonicis Conringius *Radevicum* Scriptorem coævum, atque ita majori fide præillo amplectendum. Aliter is de hoc bello: *Divo Principe Friderico rerum summam gubernante, Poloni pari modo mandatum ejus flocci pendere sibi impune arbitrabantur. Cessit verò hic secus ac rati sunt. Nam & altioris spiritus, & acrioris ingenii principem, multiplicatæ injuriæ ulterius dissimulare facinus non sinebant. Accessit siquidem ad hæc, quod vel debitum fidelitatis sacramentum offerre, vel solidum singulis annis tributum quingentarum marcarum, ærario publico jam inferre desve-verant,*

Duglossus perplexus notatur.

Opponitur Radevicus Polonum Imperio Romano subjectum fuisse referens.

verant, talibusque indiciis apertè se ab Imperio decessisse, & non clanculum, sed evidentem rebellionem moliti præstabantur. l. 1. de Gestis Friderici I. c. 2. Imperator ergo cum magnis copiis Poloniam, quamvis arte & naturâ admodum munita sit, ita ut priores Reges seu Imperatores vix magnâ difficultate ad fluvium Oderam pervenissent, fretus ope divina, quæ visibiliter exercitum præcessit, clausuras illorum, quas in angustis locis præcisa densitate sylvarum fecerant, & magnâ mole ingeniosè obstruxerant, penetravit, & XI. Kalend. Septembris prænominatum amnem, qui ex illa parte totam Poloniam quasi murus ambit, & profunditate sui gurgitis omnes excludit aditus, præter opinionem incolarum, cum magno exercitu transvadavit. Tantum enim omnes tenebat transeundi desiderium, ut alii natandi, alii, quodlibet instrumentum fors obtulisset, eo pro navicula utendo transirent. Quo viso, Poloni de tam improviso malo perculsi, & vehementer exterriti, cum jam nihil præter exitium sui, & destructionem terræ superesse viderent, quamvis auxilio vicinarum gentium Ruthenorum videlicet, Parthorum, Pruschorum & Pomeranorum, maximum collegissent exercitum, in solâ fugâ spem vitæ constituunt: adeò ut desperatione correpti, ut proprium solum, propriam patriam suis manibus incendendo vastarent, insuper & arces & munitiones destruerent. Inter quas munitissima castra, Glogovia videlicet, & Bitum, quæ prius ab hoste capta non fuerant, ne à nostris ibidem præsidia ponerentur, cremaverunt. Imperator fugientes insecutus, & territorium Episcopi, quod vocatur Vratislavia, transcurrens, in Episcopatum Posnaniensem totamque terram etiam ipse igne & gladio depopulatus est, indignum æstimans eis parcere, qui in seipsos tam crudeles hostes inventi fuissent. cap. 3. Boleslaus Dux rebus suis ultimum fatum cernens imminere, cùm totam terram, populumque suum periclitari, & propè esse ad interitum cerneret: Barones & Principes nostros tum per nuncios, tum in propriâ personâ conveniens, multis precibus, multis lachrymis, multis quoque promissionibus, ut sub jugum Romanæ ditionis, & in gratiam Principis recipi mereretur, postulavit. Salutare secutus consilium, antè intolerabilem calamitatem rebellionis mutare sententiam: debere autem dedignari Dominos humiliores, non eum cujus in potestate sit Romanum imperium. Imperator jam dudum edoctus hanc nobilitatem,

Parcere prostratis & debellare superbos,

præmaturam, subitam & à Deo datam nolens cruentare victoriam, ducem ad deditionem recipiendum decrevit. cap. 4. Itaque in prædicto territorio Episcopatus Posnaniensis circa partes Crisgouvæ, præfatus Dux pedibus Imperatoris provolutus, interventu principum, hoc tenore in gratiam receptus est. Primo juravit pro se & pro omnibus Polonis, quod frater suus exul ad ignominiam Romani imperii non fuerit expulsus. Deinde pollicitus est dare duo millia marcarum Imperatori, & Principibus mille, Imperatrici XX. marcas auri, Curiæ CC. marcas argenti, ob eam negligentiam, quod ad Curiam non venerat, nec de terrâ debitam fecerat fidelitatem. Juravit

ravit quoque Italicam expeditionem. Deinde juravit, ut in proximâ nativitate Domini ad Curiam Magdeburg celebrandam venire deberet, juxta judicium & sententiam Polonorum & Bohemorum, super querimonia fratris sui expulsi plenariè responsurus. Sicque juratâ principi fidelitate, sicut mos est, & de supradictis omnibus fideliter adimplendis acceptis obsidibus, Gazimero videlicet fratre ducis, & aliis nobilibus, gloriosam adeptus victoriam, Deo duce feliciter Augustus revertitur. Ipse tamen Dux dolis plenus, & acerbam dominationis cupidinem mente gerens, jamjam suis promissionibus, (ut postmodum patuit) moliebatur insidias. Nam nec ad Curiam venit, nec sufficientes pro se procuratores misit: Italicam quoque expeditionem, violato sacramento, mentitus est. Adjungamus ipsi socium *Ottonem de S. Blasio in Append. ad Ottonis Frisingensis Chronicon. c. 7.* ubi eandem historiam haud absimili relatione complectitur. *Radevicum* vero per omnia sequitur *Güntherus Ligurinus l. 4. ab initio, paginis 361. 362. 363. 364.* ubi carmine Heroico, quæ Radevicus solutâ oratione tradidit, complexus est, elegantiam scribendi magis secutus, quàm rei veritatem.

Idem scribit Otto de S. Blasio.

Radevicum sequitur Güntherus.

§. IX.

Refutantur Radevicus & Otto de S. Blasio.

Ut verò Arietes istos, quorum vi ac impetu libertatem Gentis nostræ hucusque conservatam destruere contendit Conringius, fortiori reprimamus munimento; separandi primum à se invicem

cem erunt Authores citati, & singulorum vires explorandæ. Primas inter illos tenet *Radevicus Canonicus Frisingensis.* Hunc quidem eâdem ætate cum Kadlubkone vixisse, non inficiamur; nullâ tamen ratio subest, ob quam in pari causâ majorem fidem mereatur exterus Scriptor, (qui etsi jussu Ottonis Frisingensis & Imperatoris nutu se scripsisse glorietur, non tamen αὐτόπτην sed ἀκουστὴν tantùm se testem fuisse fatetur *in epist. dedicatoria*) quàm Patrius noster, Episcopus Cracoviensis, vir dignitate, rerum experientiâ & vel hoc nomine, quod ex mandato Principis sui publicâ authoritate ea, quæ *ipse oculis vidit*, in historiam retulit, Radevico aliisque Scriptoribus præferendus. Verbosa istius hominis privati & à publicis negotiis remoti narratio, nihil in recessu habet; silente hîc teste fide digniore *Ottone Frisingensi* Viro prosapiâ, dignitate, & consvetudine apud Fridericum familiari illustri, qui procul dubio, gloriosæ illius Friderici in Poloniam expeditionis, (quæ ab *Ottone de S. Blasio ad A. 1155.* refertur) vel paucis tantùm mentionem injecisset, cùm tamen ipse *Otto Frisingensis* Imperatorem bello Italico per integros illos annos 1154. 1155. penè distractum haud obscurè tradat. *l. 2. à c. 13. ad c. 27*; in quo luculentum insuper testimonium reperire licet; non *Vladislaum Polonum*, sed *Vladislaum Bohemum* obviam Imperatori ex Italiâ

(1.) à contrario Kadlubkonis eoque potiori testimonio.

(2.) à silentio Ottonis Frisingensis.

(3.) Confunditur à Radevico Vladislaus Polonus cum Bohemo.

Italiâ reduci venisse verb. seq; *Quo* (in Bojariam nempè) *veniens, Labeslaum Ducem Bohemiæ, Albertum Marchionem Saxoniæ, Hermannum Palatinum comitem Rheni, cum aliis viris magnis obvios habuit. Tantus etenim eos, qui remanserant, ob ipsius gestorum magnificentiam, invaserat metus, ut omnes ultrò venirent, & quilibet familiaritatis ejus gratiam obsequio contenderet invenire. p. 469.* Texit verò Otto Frisingensis telam historiæ præsentis usque ad A. 1156. ne memorato quidem ullo, si quod cum Polonis intercessisset, Cæsareo negotio. Silet etiam *Godofredus Viterbiensis* ejusdem ætatis scriptor. Ottonem sequitur Engelshusius *p. 67. verb. seq. Fridericus I. Ducem Boemorum deposuit & Zobislaum (seu Vladislaum) patruelem ejus reponendo.* Opinio itaque Radevicum sua fefellit. Ignarus homo limitum Regni Poloniæ, & confusam Bohemiæ, Pomeraniæque Orientalis ac Occidentalis notitiam habens in crassum istum inductus est errorem *Lobislaum* enim ducatu suo pulsum, & ad Imperatorem profugum non Poloniæ sed Bohemiæ Principem fuisse, superiùs solidè jam evictum. Fuêre verò eâdem etiam ætate *Pomeraniæ Duces* insigniores, *Boleslaus I.* & *Cazimirus I.* dicti, qui ob consimilem nominũ speciem pro Poloniæ Ducibus falsò habiti. Ii adversus Imperatorem ac Principes Imperii arma capessebant; cumque se impares sensissent, nunciis missis ad Adolphum Comitem Imp., ad pacis conditiones admitti volentes,

(4.) *Confunduntur: Fratres Vladislai Poloni, cum Pomeraniæ Ducibus ex paritate nominum.*

lentes, *tria millia marcarum* promittendo, in gratiam redire studebant; teste *Helmoldo* Scriptore per eadem tempora vivente *lib. 2. c. 4. num. 5.* Et hæc sunt fortè illa *tria millia*, quæ Radevicus à Boleslao Polono præstita esse suspicatur, divisione muneris istius hunc in modum factâ; ut *duo millia* Imperatori, & principibus (quorum præcipuus Henricus Leo vel jubente Imperatore vel connivente per Comitem Adolphum bellum tunc gesserat contra dictos Pomeraniæ Duces) *mille* darentur. Porrò *Pribislaus* quidam (qui iterum forte per ignorantiam malè à Radevico, ob consimilem nominis utriusque sonum, cum Vladislao Poloniæ Rege confunditur) Princeps Slavorum, autor Rebellionis istius, ac bello illi implicitus ab Henrico Principe Imperii *ducatu suo* privatus, *paternæ hæreditatis factus extorris*, tandem intercessione Pomeraniæ Ducum, ab Henrico Leone *recepit omnem hæreditatem Patris sui præter Sverin & attinentia ejus*; ut ex ejusdem Helmoldi *l. 2. c. 7.* & Arnoldi Abbatis Lubecensis. *l. 3. c. 2.* luculenter constat. Imposuit porrò *Radevico* & *Ottoni de S. Blasio*, quod *Boguslaus* & *Cazimirus* Pomeraniæ Duces, vel quod à Poloniæ regibus instituti essent, ut vult Kadlubko *lib. 4. Chron. Polonici. c. 4. p. 458.* vel quòd iidem Duces à suis quidem creati, à Poloniæ tamen Regibus confirmati, adeoque aliquo modo iisdem obnoxii redditi, (ut fatentur Cramerus & Micrelius *l. 2. Chron. Pomeran. num. 31. p. 172. & num. 90. p. 268.*) vulgò, nec sine ratione pro *Poloniæ principibus*

(5) *Confunditur Vladislaus Polonus cum Pribislao Slavo.*

cipibus habiti fuerint: Quo ipſo Regnum Poloniæ Imperio Romano ſubjectum fuiſſe, falſo creditum. Ipſe tandē Radevicus *terminos Poloniæ* (ex opinione ſua) deſcribens vel invitus decidat oportet; de Boguslao Pomerano intelligenda, quæcunq; in Boleslai Poloni perſonā torquet. Ita enim ille de limitibus Regni Poloniæ ſcribit. *Eſt*, inquit, *Polonia, quam habiti modo Sclavi inhabitant, ſicut placet his, qui ſitus terrarum deſcriptionibus notant, in finibus ſuperioris Germaniæ, habens ab occidente Oderam fluvium, ab oriente Viſtulam, à Septentrione Ruthenos & mare Scythicum, à Meridie ſylvas Bohemorum in cap. 1.* Unde liquet, *inquit Conringius*, *Pomeranos* ut & partem novæ Marchiæ Poloniæ tum accenſita. Mare enim Scythicum eſt illud, quod hodie Orientale aut Balthicum audit. Rutheni ſi Ruſſi ſunt, haud apparet, qui illi, à ſeptentrione Polonos clauſerint. Sed videtur Radevico non ſatis nota fuiſſe terræ illius omnis ratio; quin ipſe id indicat, eoque non etiam eſt, cur illi ut & illum ſecuto Gunthero, hac in re tutò credamus. *Ita Conringius ipſe de Radevico:* Iidē *Boguslaus I.* & *Cazimirus I.* ditionis Pomeraniæ Domini vel Præfecti, tandem, ſolicitante *Friderico I. Barbaroſſa* Imperatore, *facti ſunt Duces ſacri Romani Imperii*; ut id tradunt Albertus Crancius *l. 6. Vandaliæ c. 14.* Micrelius *l. 2. num. 86.* vid. plures alii à Clar. Schurzfleicsh *Or. Pom. p. 19. citati*; verèq; dicendi erunt hoc ipſo *jugum Jurisdictionis Romanæ ſubiiſſe.* Quâ de re appo-

(6.) *confunditur Polonia cum Pomerania.*

poſitè & ad rem *Saxo Grammaticus*: *Anuente*, inquit, *Rege poſteroque die concionem petente, Bugislaum & Kazimarum ditariam patriæ libertatem vanis atque fucoſis dignitatum nominibus venditantes. Qui ſi ſcirent, quantò oneri ſe exigui panni receptione ſubſternerent, mortem beneficio prætuliſſent: aut privati in omne vitæ tempus degere maluiſſent. Sic ſub honoris gravisſimis dedecoris probris implicati diſcedunt: ſervitutem falſis dignitatum inſignibus coloratam in patriam referentes. Hiſtoriæ Danicæ l. 15. p. 192.* Nec ideo abſurditatis convincimur, quod ex Radevico, ſi modo fides ei habenda, Boguslaum, quem Pomeraniæ ducem nos fuiſſe ſuſpicamur (non Polonorum ut vult Radevicus,) Pomeranorum auxilio inſtructum fuiſſe admittamus. Notum enim eſt; *Pomeraniam duplicem* tunc fuiſſe, *occidentalem* aliam, *aliam Orientalem*, quarum alteram Boguslaus & Cazimirus tenentes, à vicinis alterius Pomeraniæ incolis auxiliares habuêre fortè copias. vide Cromerum *l. 6. de Orig. & reb. geſt. Pol.* Plurium errorum convinci poſſet Radevicus; quos tamen, cum argumenti noſtri veritatem non vehementer turbent, conſultò prætermittimus. Quæ *Günthero* fides ſit habenda, veſtigia Radevici prementi, facilis ex præcedentibus eſt deciſio. Fatentur enim ipſe Conringius & Spiegelius *in Scholiis ad Güntherum* eum per omnia Radevicum eſſe ſecutum *p. 363.* ad verba: *tribus fratribus.* Quâ verò fronte idem Spiegelius, Polonos olim

(7.) *Iidem Boleslaus & Caſimirus qui antea Polonis paruêre, facti ſunt à Friderico I. Imperii Principes & Vaſalli.*

Günterus & Spiegelius refutantur.

Gg

olim fuisse tributarios Romano Principi, adstruere conetur, trahendo in partes suas Munsterum, qui tamen in *Cosmographia suâ in vitâ Boleslai IV.* contrarium defendit, lector æqvus judicet; nisi forte alium Munsterum intellexerit. Quâ porrò veritate nituntur Conringii verba? *Per eadem,* inquit, *tempora solito more soluta etiam tributa esse, significat Helmoldus, quem circa annum 1170. sua scripsisse, ex ultimis duobus capitibus l. 2. satis perspicuum est.* Perlegenti enim Helmoldum non Polonos sed Rugianos, Ranos & reliquos Slavos inter Eydoram, Mare Balthicum & Albiam subtributo serviisse advertere licuit. Nec minorem ingenerare poterat Radevico confusionem non probè satis perspecta de filiis Vladislai exulis *Boleslao procero, Mieceslao & Conrado* à Cazimiro Ethnarcha Polono Silesiæ & Partis Poloniæ Ducibus creatis historia: ut id observant etiam *Silesiæ annales.*

Frustra in subsidiũ allegantur Helmoldus & Munsterus.

Confunduntur tandem Poloni cum Slavis; imo etiam cum Silesiis.

§. X.

Variæ de hac materia sententiæ examinantur.

Videamus porrò varia alia circa hanc rem judicia. *Hagecum Cromerus* verb. seq. refutat. Hagecus, *ait*, nescio hîc quid de Tartaris & Saracenis unà cum Russis à Vladislao exule contra Polonos ductis, & à Vladislao victis pulsisq; : Qui tamen utriq; populi procul tunc aberant à Germaniâ. Cromerus porro, *Vladislaum exulem tributum fortè Cæsari promisisse*, conjicit, dum hoc ipso per Cæsarem restitui

restitui volebat. Ineptè hæc à Cromero tradita duriùs hîc certè judicat Conringius. Haud obscurè enim ex *Chronico montis Sereni* id colligere liceat, ubi *Vladislaus gener Conradi ipsum adiisse & Poloniæ ducatum ab ipso* (procul dubio promissione muneris intercedente) *recepisse* dicitur *pag. 19.* quo ipso investituram Regni antea liberi, *sub onere feudi* petiisse intelligendus est. Dignus certè exilio Rex, Regni sui desertor, ac pene hostis: & quæcunq; ab eodem promissa, tam à desertore quàm abdicato facta pro nihilo habenda sunt, apud Grot. *L. 1. c. 4. §. 9.* Quadrat verò huc apprimè Barclaji judicium verb. seqv. conceptum. *Si Rex in alicujus clientelam se contulerit, ac regnum, quod liberum à majoribus & populo traditum accepit, alienæ ditioni mancipaverit: Nam tunc quamvis forte non eâ mente id egit, Populo plane ut incommodet, tamen quia, quod præcipuum est, regiæ dignitatis amisit, ut summus scilicet in Regno secundum Deum sit, & solo Deo inferior, atque populum etiam totum ignorantem vel invitum, cujus libertatem sartam & tectam ab exterarum nationum servitute conservare debuit, in alterius gentis ditonem & potestatem dedidit, hac velut quadam regni abalienatione effecit, ut nec quod ipse in regno imperium habuit, retineat, nec in eum, cui collatum voluit, jure quicquam transferat, atq; ita Rex eo facto liberum jam & suæ potestatis populum relinquat.* Eodê ablegandi recentiores Scriptores, inter quos idem Author *Chronici montis Sereni ad An. 1163.* verb. seq. *Poloni filium ducis sui expulsi recepe-* runt

runt, curia illis indicta: item *Mutius*, qui *Polonorum Dux*, inquit, *fœdus & fidem imperatori non servans vincitur & sub jugum mittitur, cogiturq; tributum magis dare quam anteà l. 18. p. 145. 1028.* *Sigonius* belli Polonici breviter meminit, à quo Imperatori mox recedendum fuit Italicis turbis ab eo abstracto, *l. 12. ad A. 1157.* Quam authoritatem *Friderici I. Cæsaris tabulæ Reunoburgi Ao. 1159.* conscriptæ habeant, in quibus tributum quod hactenus ex Polonia prisci Cæsares acceperant, Bohemiæ tribuitur, *apud Goldastum parte 2.* Reich Schatzungen *p. 13.* ex præcedentibus sufficienter concludi potest: nimirum vanam esse donationem rei alienæ; aut tributum illud à Poloniæ Regibus vel etiam novis illis Silesiæ principibus non Poloniæ sed Silesiæ respectu præstitum esse. Fatemur quidem Rempublicam Polonam intestinis motibus miserè laceratam & in partes distractam ab Imperatorum vexatione non planè immunem fuisse. Diu enim inter Competitores Regni certatum fuit, ad quem Suprematus pertinere debuisset, donec tandem factâ inter Vladislai filios Silesiæ divisione, Cazimirus Polonicus ex vaticinio Patris sui Ethnarcha Poloniæ renunciatus est, à cujus arbitrio supremo reliqui principes appanagii jure dependerent. Jam verò quæ durante quasi lite & turbulentis temporibus accidunt, nullũ solidum juris obtenti vel amissi præbent argumentum. Imo absurdum esset uno & eodem actu

in

in rebus tanti ponderis, quæ causam continuam non habent, jus perpetuum constituere velle, cum ne minima quidem servitus, quæ continuam causam non habet, aliter acquiri possit, quàm intervallo centum annorum, *judicio Bodini.* Emendavit porrò Cazimirus statum Reipublicæ Polonicæ, constitutis justis & honestis legibus. Nulla posteà ipsi cum Friederico intercessere bella; imò non tantum Poloniæ sed & Silesiæ annales fatentur, *Alexandrum Pontificem Polonis gratiam egisse, quod sub Friderico Cæsare semper ipsum agnovisset pro Pontifice;* apud Cureum *p. 57.* Magnum id certè documentum est prævalentis Cazimiri Potentiæ, cui Sedes quoque Romana contra Imperatoris Friderici vim, authoritatis sibi conservatæ debet ac fatetur munimentum. Vana enim essent, nec longam passura diem, suscepta ab inferiore Viribus ac subjectione Principe adversus superiorem inimicæ causæ patrocinia. Experietur ergò Radevicus (& qui eum sequuntur) probè meritum, à quo sibi metuisse quoq; visus in proœmio, (longa quadam protestatione facto, ut JCti vocant, contraria,) Josephi judicium contra Appionem Grammaticum Alexandrinum. *Græcos verò & Romanos (adde quosdam Germanos)* inquit, *qui militiam secuti non sunt, figmentis, & adulationibus captos, res gestas nescire, atque historias ausos eas inscribere; qui propter hoc quod nihil sanum referunt, etiam de proposito*

 decidisse.

decidisse. Nam dum Romanos volunt magnos ostendere, Judæorum (nos quoque addimus Polonorum) res extenuant, & in humilitatem dejiciunt. Qui verò præsto fuerint, aut Romanorum obsequio, aut odio Judæorum atque externorum, contra fidem rerum falsa confirmâsse, scriptis autem eorum partim accusationem, partim laudationem contineri, nusquam verò exactam fidem reperiri historiæ. Alios item, non quod rebus interfuerint, sed vana & incongrua narrantium sermonibus auribus colligentes, oratorum more perscripsisse.

SECTIO

SECTIO VIII.

DE POLONIA NUNQUAM TRIBUTARIA,

In quâ

(1.) Decrescentis Imperii, & crescentis Regni Polonici fata exhibentur. (2.) quo jure quâve injuriâ Silesia à Poloniæ Regno avulsa, & Bohemiæ adjudicata fuerit, disquiritur. (3.) præjudicium recepti Tituli Regii examinatur.

Materiâ istâ historiam Seculorum XIII. & XIV. ingrediente.

§. I.

Cum *Friderico I.* prisca illa Cæsarum autoritas & Imperii Romano-Germanici robur concidit, sive ex occulto DEI judicio, seu senescente ejus jam in casum ætate. Est quippe illa maximorum Regnorum fatalitas, ut non possint eodem semper loco consistere: Nec ipsi Principes grande regiminis onus rectâ cervice diu sustinere valent; Lassantur & se inflectunt, nec decurrunt ad metam æqualiter. Hæc Imperii Romani illis temporibus fuit Sors atque Conditio, quam judicio *Gramondi*, quod de Hispaniæ Regno ferre ausus est, exprimere licebit: *Nutavit certè tunc fortuna Imperii, concussâq; velut*

Decrescentis Imperii Romani fata & causæ exhibentur.

velut tellure minatus est ruinam Colossus ille ingens. Prædictum id videtur fuisse vaticinio quodam eâ ætate in vulgus sparso, cujus summam nobis exhibet *Abbas Stadensis* ad A. 1152. fol. 173. & 174. verb. seq. *In diebus illis Imperatores Romanæ dignitatis, fortitudine, quâ priùs Romanorum regnum tenuerant, descendentes, in gloriâ suâ imbecilles fient: Reges & Principes multorum Populorum, qui prius Romano Imperio subjecti erant, se ab eo separabunt, nec ulterius ei subjicientur. Et sic Romanum Imperium in defectum dispergetur. Nam unaquæque provincia & quisque populus Regem sibi tunc instituet, cui obediat, dicens, quod latitudo Romani Imperii magis sibi oneri fuerit, quàm honori.* Longum esset & superfluum, decrescentis Imperii fata infeliciora hîc congerere, quæ in summam contracta legas in Scriptoribus coævis & recentioribus. Fatentur verò ipsi Germaniæ annales, *omem etiam illam Imperii reverentiam circa infelicia Friderici II. tempora planè exspirasse*: quam quidem nec ante illa superfuisse testantur *Abbas Urspergensis & Otto de S. Blasio*, utrique σύγχρονοι, hoc ipso omni exceptione majores testes: quorum autoritatem sequi non dubitarunt *Johannes Cuspinianus*, *Sebastianus Münsterus* & alii Scriptores Germani cum patriis Scriptoribus hâc in materiâ conspirantes. Quos licet suspectæ fidei arguant *Bangertus in not. ad Arnoldum Lybecensem*, & ingeniosissimus aliàs *Henricus Meibomius in Apologiâ pro Ottone IV.* ingenii tamen

Confirmatur id testimoniis σύγχρονοις & recentioribus.

Contradicunt Bangertus & Meibomius.

men acumen potiùs, quàm solidam annalium coævorum ibi advertes refutationem. Hanc verò jam sub censuram trahere, nec animus est, nec argumenti præsentis scopus exigit. Gratulamur interim Patriæ nostræ, quod libertas ejus integro penè Seculo, ab excessu Friderici I. ad inauspicatum illud Imperio interregnum (f. ab A. 1191. ad A. 1273.) & ultrà, leviter tacta ac penè intacta, illæsa verò semper manserit; quicunque Imperatorum adversus illam impensi fuerint conatus, virium tamen expertes. *Arnoldus* quidem *Lubecensis* serenius hoc patriæ nostræ astrum obfuscare videtur, dum *l. 7. c. 18.* sequentem in modum scribit: *Sequenti anno indicta est curia in Aldenburg, quæ alio nomine Plisne nuncupatur, ubi etiam ingens patrimonium Imperator* (is Otto IV. fuit, qui ab A. 1209. ad A. 1219. Imperio præfuit) *possedit Comitis Rabbodanis cum castro Leisnick & Colditz, quod Fridericus Imperator quingentis marcis à Comite memorato comparavit. Illuc convenerunt Mysnenses & Cisnenses, Poloni quoq; Bohemi & Ungari, ibique multis negotiis determinatis & pace juratâ, quæ in omnibus curiis præcedentibus firmata est, dominus Rex faciem suam convertit Brunswich, ubi festum Pentecosten solenniter celebravit. pag. 561. & 562.* Reliqui omnes coævi vel qui non longè ab illâ ætate vixerunt (*quos in cumulum congessit Meibomius dicto loco*) silent, adeò ut proletaria unius testis relatio tam sacro silentis tunc ætatis patrocinio, vel præsumptioni pro

Item ex antiquis Arnoldus Lubecensis.

Resp. (1.) à potiori antiquiorum testimonio.

pro libertate regni nostri omni jure fundatæ vix derogare quicquam valeat. Sed cedamus jam adversæ causæ patronis, *Arnoldi* testimonio tanquàm muro aheneo, ut opinantur, munitis: Araneæ telam verè appellaveris, ubi compagem verborum diligentiùs perspexeris: *Convenisse*, ait, *illuc Polonos* (quinam fuerint, non exponit: nam & eâ ætate fuêre Principes Silesiæ è Regiâ stirpe Polonâ orti, qui inter se bello concertabant, auxiliis ex alterâ parte Polonorum ex alterâ Bohemorum instructi, ut id Cureus notat *p. 60. & seq.*) non citatos aut coactos, cum id non exprimatur, sed sponte, *in locum* illum *negotiis multis determinandis* destinatum (ita enim & Supremi Principes, sine ullo juris amittendi præjudicio, etiam hostis locum eligere solent, ad pacis in illo tractanda negotia: Cujus rei evidens documentum præbent Pacificationes Monasteriensis, Neomagensis, Fons bellaqueensis, Olivensis, aliæq;) *ad pacem, quæ in omnibus curiis præcedentibus* (hoc est quæ consilio, industriâ, mediatione atque arbitrio Imperatorum procurata sæpe est, ut antecedentia id luculenter ostendunt) *juratam.* Funiculus ex arenâ, debilis certè ad obstringendam subjectionis aut tributi pendendi vinculo Rempublicam Polonam. Nec præjudicium aliquod post se trahunt Tabulæ *Friderici*, quibus Regnum Bohemiæ A. 1212. plurimùm ornâsse dicitur; in quibus Dux Poloniæ ad curiam citatur: His verò concepta verbis formula est. *De nostra liberalitatis munificentiâ statuimus: quod illustris Rex*

(2.) nec Arnoldi testimonium vere contrariû.

Nec Tabulæ Fridericianæ præjudicium inferunt.

Rex Bohemiæ prædictus vel hæredes sui ad nullam curiam nostrã venire teneantur, nisi quam nos apud Bamberg vel Nurnberg celebrandam indixerimus, vel si apud Merseburck curiam celebrare decreverimus, ipsi sic venire teneantur. Quod si DUX POLONIÆ VOCATUS accesserit, ipsi, (Reges scil. Bohemiæ) *sibi ducatum præstare debeant, sicut antecessores sui quondam Bohemiæ Reges facere consveverunt, sic tamen ut spacium sex hebdomarum veniendi ad prædictas eis ante præfigatur.* Initio quidem non levis hìc Synchronismi jactura notanda dum isthæc A. 1212. accidisse memorantur; cùm tamen nec Fridericus I. (utpote qui A. 1191. diem obiit) illam ætatem attigerit, nec Fridericus II. (cujus imperii initium in annum 1219. collocatur, ex Philippi Melanchtonis sententiâ) antequam is in Imperatorem electus esset, vi Imperatoriæ Majestatis, Bohemiæ regnum privilegiis illis ornare potuerit. Porrò cum notorium fuerit, ab incompetente Judice emissam fuisse citationem, illi tunc impunè non paruêre Poloni: nec enim ex actis publicis constat, Poloniæ Regem præsentem tunc se stitisse, atque ita vim jurisdictionis Imperatoriæ agnovisse. Non absimili ex causâ Franciscus I. Galliæ Rex Carolum V. Imperatorem tanquàm subditum & Vasallum publico edicto ad curiam suam citari jussit, irrito certè prætensæ in potentiorem tunc jurisdictionis effectu. Sunt istæ haud rarò Principum imbecilliorum artes & refugia: Qui dum ultimis Regum rationibus, *justitiâ nimirum*

L. fin. ff. de jurisdict.

Quid de illis citationibus ab Imperatoribus adversus Poloniæ Reges emissis causæ sentiendum.

causæ & armorum potentiâ destituti nihil obtinere valent, ad privatorum præsidia illa, citationes, protestationes, deductiones jurium, & infinita alia crenæ licentioris certamina recurrunt, vanâ sic juris conservandi imagine sibi ipsis illudentes.

§. II.

Silesia Poloniæ Provincia, ab Imperatoribus & Regibus Bohemiæ armis vexata.

Succedente ætate non tam Polonia singillatim hoc nomine appellata, quàm *Silesia*, pomum illud Eridis, materiam præbuit perpetui inter Imperatores Regesque Polonos diffidii, iteratæque vexationis bellicæ; donec tandem Imperatorum studio in Bohemorum redacta fuit potestatem, seu Jure si injuriâ, seu vi adversâ, seu propriâ negligentiâ vel etiam periodo quâdam Rerumpublicarum fatali, utrique Regno tunc imminente. Provinciam istam toto orbe florentissimam à Lechi ætate Polonorum regno paruisse, demonstravit jam *Nicolaus Henelius, in Silesio-Graphiâ suâ c. 7.* Variè quidem in illam ab Imperatoribus susceptæ expeditiones; quo successu, quove bellorum eventu, passim supra notatum. Concisis verò sensim Imperii viribus, ipsi Imperatores alienis turbis impliciti Jus, quod in illam habere putabant, in Bohemiæ Reges transtulêre. Nihil autem tunc temporis usque ad Henricum IV. contra Polonos, Bohemiæ Principes obtinuisse, docent tot bella Polonorum adversus Bohemos & Germanos feliciter gesta, de quibus vid. *Boreck parte I. p. 107. & 122. Cureus citatis in pluribus locis. Melchior Goldastus l. 2. de*

l. 2. de regno Bohemiæ c. 12. & lib. 3. c. 10. Concessâ quidem Imperatorum Bohemorumque intercessione, Vladislai Poloni exulis filiis provincia, ita tamen ut Monarcharum Poloniæ fiduciarios se profiterentur. Quapropter ut ejusdem sanguinis Principes, quotiescunque de salute communis patriæ consilium erat capiendum, simul in unum convenientes comitia cum Polonis obibant: Ut cum A. 1180. Casimirus comitia Lencitiæ indixisset, aderant inter alios Boleslaus Procerus, Wratislaviensis Dux, & Zireslaus Wratislaviensis Episcopus. Similiter A. 1222. Masoviæ Duci contra Prussos bellum gerenti ad fuêre, fundationemque Episcopatus Prussici ratam habuêre Dux & Episcopus, item Dersko Palatinus & Sobeslaus Castellanus Wratislaviensis; item anno 1226. Comitiis Gansavienfibus inter fuit Henricus Barbatus Wratislaviensis Dux, & alius ejusdem urbis Episcopus. Quas & alias rationes graphicè deductas vid. in *Stanislao Lubienskio in Responsione ejus ad septuaginta rationes Operis Posthumi à p. 162. ad p. 172.*

Vladislai Poloni exulis Liberis concessa sub nexu fendi.

§. III.

Quo jure Imperatores Silesiam Bohemiæ Regibus donaverint.

Non tamen quievêre Imperatorum machinationes; quibus certè in more tum positum erat, de alieno corio ludere, & quod justis Dominis auferre non poterant, id aliis elargiri; ut ita Pauli Sarpii de consimili quodam casu disserentis judicio uti liceat: non renuente hic *Conringio*, Scriptore apud Germanos celebratissimo *in L.*

in L. de Germanorum Imperio Romano c. 2. Factum verò id à *Rudolpho I. A. 1290.* cujus Tabulæ germanicè versæ dignæ habitæ sunt â Conringio, ut pro Jure Imperatorio in Silesiam demonstrando publicæ traderentur luci, istis conceptæ verbis.

Rudolphi Tabulæ.

Wir Rudolph von Gottes Gnaden Römischer König / allezeit Mehrer des Reichs / entbiethen allen unsern des Römischen Reichs getreuen/denen dieser Brieff vorkompt/unsere Gnade und alles gutes. Und thun euch zuwissen / daß wir die Ordnung und den Vertrag/ wie es mit dem Breßlischen oder Schlesischen Fürstenthumb/ so uns und dem Käyserthum unters Lehen gehörig / künfftig gehalten werden solte / besiegelt gesehen : als nehmlich wann unser HErr Gott dem Durchlauchtigsten Henrichen Hertzog in Schlesien Todeshalben abfordern würde/ daß der Durchläuchtigste Ottagarus König in Böhmen / oder sein Erbe und nachfolgende Römische Könige / ihme die gantze Landschafft-Schlesien Erblich einnehmen und besitzen möchte. Dieweil denn dieses Recht auff dießmahl Könige Wenceslao unserm allerliebsten Sohne angefallen / und Er sich dessen anmassen will / so thun wir ihm solches hiemit in Krafft unsers Römischen Königreichs bestätiget übergeben. Datum in Erdfurt Ao. 1290. den 25. Septembr. unsers Reichs im 17. Jahre.

Venceslaus Bohemiæ Rex in Regem Poloniæ electus an Silesiam Regno Bohemiæ adscribere potuerit.

§. IV.

Nova iterum Poloniæ pernicies ex *Wenceslai Bohemi* ad Regnum Pol. solenni ritu acciti immi-

imminebat. Nam Wenceslaus in Regnum illud, quod *sub clausulâ commissoriâ* tenebat, absolutâ, contra jus & statuta patria, uti potestate decreverat; impellente illum in hæc consilia *Alberto* Imperatore. Ejus Tabulæ editæ à Goldasto, & sequentem in modum conceptæ exhibentur:

Resp. (1.) quia regnum Poloniæ sub clausula cõmissoriâ tenebat.

Albertus von Gottes Gnaden/ Römischer König / allezeit Mehrer des Reichs: Dem Durchläuchtigen / Großmächtigen Fürsten Wenceslao, König in Böhmen unserm liebsten Bruder unsere Gnad und alles gutes. Die unzweiffelhaffte Auffrichtigkeit deines Gemüths/ welche gegen uns und dem Käyserthumb von dir/ vor allen Königen / und des Römischen Käyserthumbs Fürsten zu spüren / beweget und führet uns dahin/ daß wir das jenige / was zur Erweiterung deiner Ehren dienlich/ nicht unterlassen mögen. Derentwegen vergönnen und verleyhen wir dir / in Krafft des Römischen Käyserthumbs / daß du sambt deinen Erben und nachkommenden Königen in Böhmen / die Länder / welche du nachm Hertzogen Vladislao in Groß-Pohlen erlanget und inne hast / erweitern und nach Gestalt des Lehen-Rechten/ itzt und in künfftigen ewigen Zeiten halten mögest. Dessen zur Uhrkund haben wir diesen Brieff mit unserm Insiegel bekräfftigen und verfertigen lassen. Datum zu Mayntz im Julio Anno 1300. unsers Reichs aber im 2. Jahre. Viderat Princeps callidus, oportunam sibi in turbido piscandi enatam occasionem. Cum enim Duces Silesiæ, fraterno invicem juncti sangvine, Cadmæo quasi

(2.) vanum est jus ab Alberto cessum, quod nullum fuit.

quasi dissidio, & perpetuis inter se certaminibus attriti essent; artibus illis nonnullas Silesiæ partes interverterat, subque suam redegerat potestatem, fatente id ipso Cromero *L. 9. p. 269.* Verùm, quo jure, quâve injuriâ Venceslaus Silesiam Poloniæ Regno feudi nexu obstrictam Bohemiæ Regno junxerit; *ex Sectione 3.* patet; quâ evictum; *Posse principem duobus præesse Regnis, ita tamen ut salvum sit cujusque Regni jus, separatum ab alio, nec sine injuriâ cum alterius Regni juribus confundendum:* Contemptim porro habere Polonos cœpit Venceslaus, dum relictis in Poloniâ præfectis Bohemis, penes quos summa rerum esset, è regno secedens pœnam non immeritus dedit neglectim habiti, ac penè deserti regni; eodem penè aut potiori forte jure, quàm quo in exauctorando Sigismundo, Svediæ Ordines *in Exeg. Sved. fol. 178. 410.* tunc usos fuisse à nostris creditum. Mortuo enim Venceslao A. 1305. Venceslaus junior expeditionem in Poloniam Regni Paterni repetendi causâ fecerat, cujus jam titulum usurpaverat: Sed prævalente *Vladislai Locttici* potentiâ repressus, morte violentâ, antequam Poloniæ fines attingeret, periit. Consentientibus hìc Cromero *L. 11. pag. 271.* & Dubravio *L. 18. p. 178.*

(3.) *Regna Bohemiæ & Poloniæ sub uno Principe, tamen distincta fuêre.*

(4.) *Venceslai posteri jure ejecti sunt è Regno Poloniæ.*

Pacta inter Polonū Bohemumq; de Silesia huic tradenda & renunciatione juris quod credebat se habere Bohemus in Poloniam.

§. V.

Dubio post hæc Marte à successoribus Polonis Bohemisque, de aureo hoc obtinendo vellere, pugnatum fuit; donec tandem *Joannes* Bohemiæ

hemiæ Rex, qui & Polonorum Regis nomen quasi hæreditarium usurpabat, auctis inter Polonam & Silesiacam gentem odiis, Silesiæ maximam partem sibi subjecisset, referente id fusiùs Cureo *in Annal. Silesiæ à pag. 95. ad 100.* Nondum tamen plena ipsi fuit possessionis recentis adhuc securitas, *Locktico* Polono dubiam illi crebris incursionibus reddente: id quod non diffitetur ipse Cureus *allegato loco;* cui jungi possunt Cromerus *L. 11.* & Stanislaus Lubienski *allegato loco.* Post excessum Locktici Poloni *Casimirus Magnus*, Locktici filius, cum *Joanne* Rege Bohemiæ circa medium Seculi XIV. transegisse & omni jure, quod habebat in Silesiam, se abdicâsse traditur à Cureo *p. 100.* Cui jungatur Autor ille *Septuaginta rationum citatus à Lubienskio pag. 162. & seq.* Boguslaus Balbinus *Reges quoque Bohemiæ vicissim se omni jure, quod prætendebant in Poloniam, abdicasse*, scribit *L. 3. Rerum Bohemicarum c. 16. p. 301.* cui pleniorem intellectum addere videtur Sylvius, qui *Joannem Bohemum, cùm regnum Poloniæ quietè obtinere non posset, Casimiro acceptis viginti millibus marcarum jus suum cessisse*, memorat. *c. 32.* Quæ Dubravii & Hageci relationes sint, quamque authoritatem habeant, Cromerum audiamus differentem: *Dubravius*, inquit, *cum Hageco memorant, inter ipsos quoque Reges Polonum & Bohemum Ungari arbitrio tunc pacta convenisse: Ut Polonus Bohemo Jus omne in Silesiâ concederet: Bohemus verò, ne Regis Polonorum appellationem dein-*

Varia exterorū & quidem pugnantia inter se testimonia.

ceps usurparet, ac jus tributi à Polono Rege exigendi ut remitteret, acceptis à Carolo quingentis libris auri puri puti: ac de his conditionibus quidem consentiunt: de illa verò dissentiunt, qui Dubravius illud quoque convenisse scribit, ut Polonus Bohemo pecuniam debitam exsolveret. Hagecus contra, viginti millia marcarum Polono à Bohemo numerata vult esse, ne quid juris in Vratislaviensi ditione, & in omni Silesiâ & Oppoliensi sibi vendicaret. Addit idem, societatem tunc ab omnibus tribus Regibus contra Ludovicum Cæsarem initam esse: quod Dubravius prætermisit: vultq; idem, & quidem solus, hæc omnia vivente & præsente LocLico confecta esse. Aliquid fortassis horum tunc actum est. Cæterum Silesiam omnem tunc nondum Bohemus in ditionem suam redegerat. l. 12. p. 290. Sanè suspicionis notam effugere vix possunt testes illi Domestici & vel hoc nomine rejiciendi, quod in re tam gravi manifestè inter se discrepent, ut communis est JCtorum sententia, apud Farinacium *quæst. 65. c. 3. & 4.* Nec sine ratione contendit Lubienskius; non omnem tunc Silesiam in ditionem Bohemorum concessisse, cùm & posteà variæ partes Silesiæ Palatinatibus quibusdam accesserint. *in Discursu de rebus Silesiacis p. 160.* Imò jurejurando quosdam Silesiæ Principes Regi Poloniæ obstrictos fuisse, tradit Januschovius *L. 7. Constitutionum Regni Pol. part. 7. tit. 1. p. 1013.* Et post Janussii Ducis Zatoriensis improlis obitum, ducatum illum Regno Poloniæ ex pacto adjunctum fuisse scribit Neugebauer *L. 7. histor. Pol. pag. 466.* Plura de hâc

Suspecti restes exteri ob variationem in re præjudiciali.

(2.) *non omnis Silesia Bohemis concessa.*

hâc materiâ collegit Hartknoch *l. 1. c. 3.* Majoris insuper ponderis argumentum est, quòd *Lubienskius* in medium profert, naturæ gentiumque jure instructum: Casimirum nempè jus Regni in Silesiæ quasdam partes Bohemo minimè cedere potuisse. Ad alienationem enim Principatus, (non Patrimonialis) vel etiam partis ejusdem, consensum quoque populi requiri, demonstravit Grotius *L. 1. c. 3. th. 13. & c. 4. §. 10. & l. 2. c. 6. th. 3. & seq.* Ita duras conditiones tradendarum Regni partium in manus Caroli V. Cæsaris, effugit Franciscus I. Galliæ Rex, qui petenti Carolo, ut Legibus Madritianis satisfaceret, respondit: in suâ non esse potestate; de Regni Francici corpore membrum aliquod separare, nisi ejusdem membri, ordinum ac totius Regni consensu ita decernatur; *referente Ponto Heutero in rebus Austriacis*, unde descripsit Franciscus Haræus *in Annal. Ducum Brabantiæ. Tom. III. p. 566*; Approbat hanc rationem Bodinus, *L. 5. c. 6.*

(3.) *imo irrita hæc cessio & alienatio Silesiæ sine consensu ordinum facta.*

§. VI.

Joanni Bohemiæ Regi defuncto, hæreditario jure successit in Regno patrio *Carolus IV*, ad Imperii verò fasces votis & consensu Procerû simul evectus; superstite adhuc *Casimiro Magno* Poloniæ Rege. Quantum Imperator iste sibi juris in Pol. Regnum arrogaverit, aut arrogare potuerit, Tabulæ ejus ingenuè mox tradendæ id indicabunt.

Carolus IV. Silesiam Bohemiæ incorporari jubet per Tabulas.

In nomine Domini Sanctæ & individuæ Trinitatis. CAROLUS Dei Gratiâ Romanorum Imperator

perator, semper Augustus, &c. ad perpetuam rei
„ memoriam. Insignes laudabilis famæ titulos
„ moderni temporis meretur gloriosa posteritas,
„ si quod prædecessorum Illustrium circumspe-
„ cta pridem instauravit provisio, vigilanti curâ
„ prosequitur & gratæ solicitudinis munit officio,
„ ut fructuosi laboris solertia perenni successo-
„ rum commendentur memoriæ, & ex perfectio-
„ ne bonorum operum, quasi ex relucenti spe-
„ culo vetustatis surgat de felicibus mortuis felix
„ memoria rediviva.

„ 1. Sanè licet pridem recolendæ memoriæ
„ Divus *Fridericus* Romanorum Imperator Au-
„ gustus, prædecessor noster, de singulari suæ be-
„ nignitatis munere, claræ recordationis Illustri
„ Vladislao quondam Bohemiæ Duci, qui regnum
„ Bohemiæ ante coronationem suam regebat, &
„ suis hæredibus Bohemiæ regibus censum de ter-
„ râ Poloniæ, quem antecessores ejus Duces Bo-
„ hemiæ à Poloniâ multis temporibus accipere
„ consveverant, quemque Polonia & Silesiæ Du-
„ ces sacro Imperio solvere tenebantur, prout in
„ literis Imperatoris præfati evidenter exprimi-
„ tur, liberaliter duxerit erogandum. Ipsi quo-
„ que Duces Poloniæ & Silesiæ eundem censum
„ Illustribus progenitoribus, & prædictis nostræ
„ Bohemiæ Regibus, in signum subjectionis debi-
„ tæ, & in recognitionem sui superioris Domini
„ ritè persolverint multis temporibus retroactis:
„ tamen ad abundantius cautelæ præsidium, tra-
„ ctu

„ ctu temporis dicti Duces suorum hæredum &
„ successorum nomine, atque vice, Principatus,
„ terras ac Dominia sua, à claræ memoriæ illustri
„ Joanne quondam Bohemiæ Rege, genitore no-
„ stro carissimo defuncto & à Corona Regni Bo-
„ hemiæ præstiterunt solemnitatis, obedientiæ,
„ homagii, subjectionis & fidelitatis debitæ jura-
„ menta corporalia.

„ 2. Et licet insignis Ducatus Vratislaviensis
„ & Silesiæ, cum suis omnibus pertinentiis, ad
„ utilem & immediatum Dominum Illustrem
„ quondam Bohemiæ Regem, progenitorem no-
„ strum & Coronam regni Bohemiæ spectaverit
„ ab antiquo, sicut hoc literæ recolendæ memo-
„ riæ Domini RUDOLPHI Romanorum Regis,
„ prædecessoris nostri, ostendunt. In quarum
„ prima quandam ordinationem inter illustrem
„ Ottocarum quondam Bohemiæ Regem proa-
„ vum nostrum carissimum ex unâ, & Henricum
„ Ducem Vratislaviensem parte ex alterâ: vide-
„ licet quod dictus Ottocarus eidem Henrico Vra-
„ tislaviensi & Silesiæ Duci, in casu, si Ducem
„ præmori contigerit, in præmisso Ducatu Vra-
„ tislaviensi & Silesiæ, terris, & omnibus dominiis
„ ejus deberet succedere, per se factum adserit
„ & in sede ipsorum dicto Henrico Duci jam sub-
„ lato de medio, prædictum regem Ottocarum,
„ hæredes & successores suos, Reges Bohemiæ de
„ Ducatu Vratislaviensi & Silesiæ, terris & Domi-
„ niis præfatis, tanquam actu vacantibus, pro-
„ pter multa grata servitia, quæ illustres Bohe-

 „ miæ

„ miæ Reges ſacro Romano Imperio fecerant,
„ ſolenniter inveſtivit, lucidius teſtantur: tamen
„ illuſtris quondam Joannes Bohemiæ Rex geni-
„ tor noſter præfatus, cum Henrico VII. & ulti-
„ mo Vratislaviæ & Sileſiæ Duce, ſororio noſtro,
„ dum uterque ipſorum vitam ageret in humanis,
„ quandam ordinationem iniit & tractavit: vi-
„ delicet quod dictus Dux Henricus terram & di-
„ ſtrictum Glacenſem cum vaſallagiis, feudis, do-
„ miniis & aliis omnibus pertinentiis ſuis, de con-
„ ſenſu dicti genitoris noſtri, ad vitæ duntaxat
„ tempora habere deberet, ut tamen eô morien-
„ te, Ducatus ſui, puta Vratislavienſis & Sileſiæ,
„ ad prædictum Glacenſe dominium, ad uſum &
„ poſſeſſionem genitoris noſtri, hæredum & ſuc-
„ ceſſorum ipſius Regum, & Coronæ Regni Bo-
„ hemiæ, ſine difficultate qualibet revenirent.
„ Si hoc præceſſu dierum ad finem devenit in-
„ tentum. Eoque dictus genitor noſter, dum
„ viveret, moriente Duce præfato, Ducatum Vra-
„ tislavienſem & terram Glacenſem præfatam
„ tenuit & poſſedit, & nos utrumque de præſen-
„ ti, velut Bohemiæ Rex, in poſſeſſione tenentes,
„ utrobilibet dominamur.

„ 3. Et quamvis Marchia Budiſinenſis & Gor-
„ licenſis, quæ cum cæteris civitatibus, oppidis
„ & pertinentiis ſuis ad Regnum & Coronam
„ Bohemiæ ab antiquo pertinuerunt, per Illu-
„ ſtrem Ottocarum quondam Regem Bohemiæ,
„ proavum noſtrum, in perſonas quondam Illu-
„ ſtrium Brandenburgenſium Marchionum, ex
„ certis cauſis & rationibus alienata fuerit: ali-
„ quando tamen Marchionibus prædictis, absque
„ ſexus Maſculini hæredibus, decedentibus ex
„ hâc vitâ, Nobiles, milites, Clientes, cives, uni-
„ verſique incolæ Marchiæ Budiſinenſis & Gorli-
„ cenſis præfatæ, animadverſione debitâ cogno-
„ ſcentes, qualiter ad Coronam & Regnum Bohe-
„ miæ, tanquàm & immediatum & naturalem
„ Dominum, dudum pertinuerant, ad ſubjectio-
„ nem & obedientiam illuſtris Joannis quondam
„ Bohemiæ Regis, genitoris noſtri, tanquàm ad
„ ordinarium, legitimum & naturalem dominum
„ ſuum, & ad Coronam Regni Bohemiæ, de cujus
„ gremio jam dudum conſtiterant, ut præfertur,
„ deliberatione non improvidâ redierunt.

„ 4. Non igitur indefeſſam ſolicitudinis ope-
„ ram & diligentiam exquiſitam, quam ſæpe dicti
„ proavus, pater, ac progenitores noſtri cariſſimi,
„ quondam Bohemiæ Reges, ad obtinendum
„ Subjectionis vaſallagium, & obedientiam Illu-
„ ſtrium Sileſiæ & Poloniæ Ducum, videlicet Li-
„ gnicenſis, Brigenſis, Munſterbergenſis, Olſnen-
„ ſis, Glogovienſis, Saganenſis, Opulienſis, Fal-
„ ckenbergenſis, Strelicenſis, Theſchinenſis, Tol-
„ ſnenſis, Buthunienſis, Stenavienſis, Oſvecienſis:
„ Principatus Maſoviæ, & Ducatus in Plotzka,
„ principum & fidelium noſtrorum; Principa-
„ tus ſeu Ducatus Vratislavienſis & Sileſiæ: nec
„ non civitates, videlicet Vratislavia, Novum-
„ forum, Franckenſtein, Stinaviam, Coraw &
„ mediam partem Glogoviæ & pertinentiarum
„ ipſius:

„ ipsius: & etiam Budisinensem & Gorlicensem „ Marchiam, ut præfertur, non absque magnis „ impensis & infinitis laboribus habuerunt, in „ nostrâ Majestatis acie continuò revolventes, ut „ virtutum ipsorum frequentia, & solicitudo la- „ borum, præteriti sub felice nostro regimine so- „ lidetur, sicut dudum de plenitudine Romanæ „ Regiæ potestatis statuendum duximus, ita & „ nunc ex certâ scientiâ statuimus de nostræ Im- „ perialis plenitudine potestatis, quòd omnes su- „ pradictæ sententiæ, & Clementiæ Imperialis & „ Regalium literarum, quas ad probationem di- „ ctarum intentionum adduximus, semper & ubi- „ que in judicio & extra, & in singulis actibus „ publicis & privatis, quotiens tenorem præsen- „ tium legi & publicari contigerit, ejusdem effi- „ caciæ, vigoris & auctoritatis existant, acsi in si- „ gnis propriis originalia viderentur; & præcipuè „ cum eadem originalia per nos ac nonnullos sa- „ cri Imperii Principes, Barones, Proceres, auscul- „ tata & examinata fuerunt diligenter; & de- „ mum communicato super omnibus præmissis „ nonnullorum sacri Imperii Principum, Baro- „ num & nobilium consilio speciali, prædictis „ omnibus de verbo ad verbum, prout superius „ exprimitur, intellectis & in examine deliberatè „ & providè discussis adductis, ne ex interpreta- „ tione sinistrâ quorumlibet, hæredibus nostris „ & successorum nostrorum Regum Bohemiæ, & „ Coronæ Regni ejusdem, juribus, hominibus & „ statui valeat in posterum derogari: auctorita-

„ te

„ te Imperiali dictos Silesiæ, Poloniæ & cœteros „ prædictos Duces, nostros Principes & vasallos, „ cum Principatibus, feudis & vasallagiis ipso- „ rum, præsertim cum à Coronâ Regni præfati „ immediatè dependeant: dictum quoque duca- „ tum Vratislaviensem, cum Civitate Vratisla- „ via, Noviforensi, Franckenstain, Stinaviensi, „ Gorensi, Glogoviensi & cæteris oppidis ibidem: „ nec non Marchiam Budisinensem, & Gorlicen- „ sem, cum vasallis, vasallagiis, feudis, feudata- „ riis, utilitatibus, fructibus, obventionibus, juris- „ dictionibus, judiciis, honoribus, juribus, con- „ svetudinibus, & omnibus dictorum ducatuum „ & Marchiæ pertinentiis, velut utile & in perpe- „ tuum adjungimus, incorporamus, inviscera- „ mus, adscribimus, adpropriamus, & indivisibi- „ liter conjungimus, counimus.

„ 5. Speciali etiam ex nomine interpretamur, „ pronunciamus, diffinimus, protestamur & dici- „ mus, ac de certa nostra scientia declaramus, „ quod præfati Duces Silesiæ & Poloniæ hæredes „ & successores ipsorum in perpetuum, quotiens „ Ducatus eosdem aut alterum ex eis vacare con- „ tigerit, ipsos vel ipsum à nobis hæredibus & „ Successoribus nostris Bohemiæ Regibus & Co- „ ronæ Regni ejusdem, homagii, obedientiæ, fi- „ delitatis & subjectionis debitæ teneantur ac de- „ beant præstare ac facere corporalia juramenta; „ supplentes omnem defectum, si quis ex literis „ aut privilegiis dictorum Imperatorum & Re- „ gum Romanorum memoria recolendæ aut

 „ etiam

„ etiam in ordine seu tractatu, dicti genitoris no-
„ stri, quem cum præfato Henrico septimo & ul-
„ timo Vratislaviensi & Silesiæ Duce habuisse
„ dignoscitur, seu in reditu Nobilium, militum,
„ clientum, civium & incolarum Budisinensis &
„ Gorlicensis Marchiæ, qui ad Regnum Bohemiæ,
„ ut præmittitur, ex causis legitimis redierunt,
„ vel in præsentibus nostris literis verborum de-
„ fectus, interpretatione dubiâ, sententiarum
„ obscuritate, vel aliâ quavis occasione comper-
„ tus fuerint; de certa nostra scientia ac de præ-
„ dicta Imperialis plenitudine Potestatis, non ob-
„ stantibus legibus, consvetudinibus, usibus, ob-
„ servantiis, juribus, Municipalibus & communi-
„ bus, statutis seu edictis publicis vel privatis fa-
„ ctis & editis in contrarium, quibuscunq; quas
„ & quæ, quantum adhæc, acsi nominatum de
„ verbo ad verbum præsentibus inscripta ac in-
„ serta consisterent, etiamsi de his jure vel con-
„ svetudine deberet fieri mentio specialis, revo-
„ camus, cassamus, irritamus, annihilamus & de
„ prædictæ Imperialis Potestatis plenitudine de-
„ crevimus firmiter, fore nullius penitùs mo-
„ menti.

„ 6. Nulli ergò hominum liceat hanc nostræ
„ adjunctionis, appropriationis, conjunctionis,
„ incorporationis, inviscerationis, adscriptionis,
„ interpretationis, pronunciationis, diffinitionis,
„ protestationis, declarationis, discreti defecti
„ suppletionis, revocationis, cassationis, irritatio-
„ nis & annihilationis paginam infringere. Con-
„ traria

„ traria verò facientes, si qui fuerint (quod ab-
„ sit) ultra indignationem nostræ Celsitudinis,
„ quam ob hoc se noverint incursuros, mille
„ marcas auri puri nostro & Romani Regni fisco
„ componant: ipsarum videlicet medietatem
„ nostræ seu successorum Curiæ seu Cameræ, re-
„ liquam passis injuriam irremissibiliter appli-
„ candam.

Signum Serenissimi Principis ac Domini, Domini Caroli Quarti Romanorum Imperatoris semper Augusti.

Testes hujus sunt: Venerabilis Ernestus Pragensis Archiepiscopus. Illustris Rudolphus Senior Dux Saxoniæ, Sacri Imperii Archimarschallus, avunculus noster. Ac venerabiles Pretzlaus Vratislaviensis, Concellarius Aulæ nostræ. Johannes Olmicensis, Johannes Luthoniensis, Theodoricus Mindensis, Henricus Lamudensis, Episcopi.

Illustres Rudolphus Junior Saxoniæ & Johannes Opaviæ, Duces. Spectabiles Burghardus Magister curiæ Nostræ, Burggravius Magdeburgensis & Albertus de Anchtal, Comites.

Et Nobiles Johannes de Rosenberg, Johannes de Sternberg, Ztrincko de Hassenberg, Gonslaus de Schwanberg, Batzcko de Constat, Dionysius de Romnitz, & Ulricus de Visa: & alii quàm plures nostri fideles præsentium sub Bulla Aurea. Datum Pragæ Anno Dni 1355. Indictione octava 7. Idus Octobr.

Hactenus Tabulæ Carolinæ: quibus robur accedere videtur ex confirmatione *Gerlaci Mo-*

 guntini

guntini Archiepiscopi, diplomate publico conceptâ, quam hoc loco recitare non attinet, cum maximam partem in argumento Tabularum Carolinarum referendo occupetur.

§. VII.

Resp. (1.) *Tabulæ Carolinæ non de Polonia, sed Silesia intelligendæ sunt.*

Nimium certè autoritatis in liberam Gentem nostram, quam nec armorum, nec pactorum jure, Bohemiæ Regno subjectam fuisse ostensum supra, sibi tribuit Carolus; si modo de Poloniæ Regno, non verò de partibus ejus & imprimis de Silesiâ genuinus ac verus est Tabularū sensus. Istum equidem inde eruere contendit *Goldastus in Inscriptione d. Tab. verb. de Incorporatione Ducatuum Poloniæ & Silesiæ, &c. Tom. I. Constit. Imperial. p. 345.* cui tamen adstipulari non vult *Conringius*, vim omnem d. Tabulæ ad incorporationem Silesiæ pertrahens *c. 28. p. 570.* Neque enim de jure in Poloniam, sed de Silesiæ Polonicæ Ducatu inter Polonum Bohemumque sententiarum ultima erat dissensio, armis ventilata, & pacto tandem inter utrumque inito sublata. Ipsius pacti insuper præcipuum momentum, in alternâ juris in se invicem renunciatione consistens (ut id fatentur Bohemi) non patitur, ut Carolus, remisso semel prætensioni nuncio, eandem publico Edicto refricare potuerit. Et, si Tabulas ipsas accuratiùs inspiciamus, enumerati ibi longo ordine Ducatus documento sunt; eosdem non Poloniæ in speciali sensu acceptæ

ceptæ, sed Silesiæ partium gaudere nomine ac jure. Externa illa appellationis, Poloniæ Ducum, species imbelle conjecturæ Goldasti præbet munimentum. Illos enim Silesiæ Duces è Stirpe Piasteo-Polonâ ortos memoriam originis suæ, in continuato Poloniæ Principum titulo, sibi conservâsse, quis est qui ignoret? Veriori itaque Conringii opinioni subscribimus, editas sc. Silesiæ, non Poloniæ, respectu Tabulas. Sed si in jus inquiramus; Quî potuit Carolus IV. Imperator, idem Bohemiæ Rex, causæ propriæ examen suscipere, litemq; suspectâ cuivis Veri ac justi amanti decidere sententiâ? Repetamus præteriti, non tamen adeò remoti longè à nostrâ ætate temporis memoriâ, dum graves tum à Germanis de Regis Galliæ, autoritate Parlamenti, Provincias quasdā bello partas Regno incorporantis processu iniquo habitæ querelæ. Quo jure, Ergo, quove Privilegio Carolus & actor causâ suæ & judex competens dicendus? Sit arbiter tandē Scriptor Bohemus *Stranski*

(2.) *nec Silesia à Carolo adjudicari potuit Regno Bohemiæ.*

(3) *Bohemorum accedit propria confessio.*

Hærent, inquit ille, *quidam ex Bohemis & quærunt, quo jure subnixi Rudolphus I. vel Carolus IV. Imperatores in Silesiam, provinciam nuper aliòquin Polonis non Imperio obnoxiam, quamque aliis titulis quàm ipsorum beneficio Reges Bohemi suam jam ante fecerant, non dubitarint potestatis Imperatoriæ plenitudinem exercere, idque adeò, quod in decessorum, nec in sua ditione unquam fuisse norant, aliis vel dare vel occupatam confirmare. in Bohemiâ Reip. c. 7.* In hâc tam clarâ juris Poloni in Silesiam deducti veritate cum Lubienskio Viro tran-

Concluditur Lubienskii decisione omnium optimâ

tranquillitatis publicæ amantissimo præsentem nobis concludere liceat dissertationem. *Hæc*, ait ille, *quæ â me allata sunt, non idcircò dicta putes, quasi classicum canere velim, & Polonos meos ad jus armis recuperandum incitare. Paci publicæ â nobis consulitur, & ubi arma nostra exerceamus, satis superque occasionum nobis est. Non temerè Poloni in Christianos stringunt gladios, barbaris undique cincti nationibus, quas virtute & sangvine suo arcent, ne totis agminibus in Europam se effundant, ne cædibus & incendiis omnia misceant. fol. 170. & 171.*

§. VIII.

Titulus regius an Poloniæ restitutus, an verò continuatus.

Intermediis illis temporibus, Regii nominis splendorem, injuriâ scriptorum suppressum, emicuisse iterum, non solùm in Patriis sed & exteris reperimus monumentis. Cujus verò autoritate ac beneficio dignitas illa (si modo amissa unquam dicenda) Patriæ reddita sit, non convenit inter Scriptores Polonos & Exteros. Proprio jure continuatum Decus, aut si quarundam causarum oppositu ad tempus suspensum, proprio etiam, Genti nostræ Florentissimæ restitutum, è domesticis quibusdam atq; extraneis deduximus annalibus. Non equidem ea communis est Nostratibus sententia; eandem tamen non in injuriam Nationis, quod exterorum quidam moliuntur, torqueri debere, ut demonstremus, materiæ exigit dignitas & necessitas. Cromerum hic reliquorum nomine sistimus. *Erat autem*, inquit, *magno & excelso animo Præmislaus, regiumq; titulum ducentis quindecim annis apud Polonos intermissum non modò non aspernabat sed appetebat etiam & ambiebat. Igitur anno Christi 1295. indictis Gnesnam, vetustam totius Poloniæ Metropolim, comitiis, Præmislaus Rex creatur tricesimum octavum annum agens, & mox vicesima sextâ die Junii solenni ritu inunctus, diadema regium ab Jacobo Svinca Archiepiscopo Gnesnensi accepit, adstantibus Johanne Cerbesso Posnaniensi, Johanne Romca Vratislaviensi, Goslao Plocensi & Conrado Lubussensi Episcopis. Nam Procopius Cracoviensis vel jam erat mortuus, vel certè ægrotabat; Visaus autem Vratislaviensis incertum, quâ de causâ abfuit. Porro Culmensis â Cruciferis prius in ordinem redactus erat, tunc autem ut nihil prorsus commune cum Polonis haberent, â Gnesnensi Archi-Episcopo abstractus, Rigensi subjectus est. Conventus autem universus, qui erat frequentissimus atq; celeberrimus cum Palatinis ac Castellanis, gratulans omnia fausta novo regi acclamatis & festis epulis ludisque indulsit. L. 11. p. 264.* Non impugnat rei ita gestæ veritatem Conringius, præter quod inconsulto Cæsare Præmislum Regium sibi diadema attribuisse & in posteros hunc morem transmisisse conqueratur: *L. XXIX. p. 582.* Nec etiam fide dignum autumat, quod quidam referunt; Vladislaum Locticum successorem, Ludovici IV. Cæsaris A. M. CCC. XX. autoritate esse coronatum; cum huic narrationi, & Polonorum & Germanorum monumenta refragentur. *ibid.* Nihil porrò nobis â Cranzio metuimus qui *L. 8. Wandaliæ c. 2.* ita scribit. *Poloni sicut & Bohemi Reges habuêre per intervalla creatos â Romanis Imperatoribus, sed quum*

quum illos tæderet geminæ subjectionis; omissis Regibus Duces creavere. Lakoldus (ita appellatur Crantzio Vladislaus ille Locticus) hac tempestate Dux erat Cracoviæ, & qui per omnem Poloniam facilè principaretur. Hic à Johanne Pontifice suscepit coronam, quod Ludovicum, quem execrabatur Papa, non ducere legitimum Imperatorem, evitans etiam, ne per eam occasionem subjectus Romano Imperio censeretur. Jam enim Pontifices in eam venerant majestatem (quam Principes Seculares dicunt præsumptionem) ut Reges crearent, citantes verbum primi post Christum Pontificis: Ecce, (inquit Petrus) duo gladii hic, &c. Lakoldus autem à Pontifice Rex nominatus & consecratus, ut videretur Ecclesiæ gratus, omne Regnum fecit beato Petro tributarium: ut per singula quotannis capita solvatur nummus unus qui appellatur S. Petri. Sequitur illum Bodinus *L. 1. c. 10. pag 210.* Cranzium de suâ fide dubitantem, deq; Polonorũ Annalium autoritate indubiâ differentem supra audivimus. Non verò Locticum sed Premislaũ receptæ dignitatis Regiæ autorem extitisse, constans & Nostratium assertio: Nec etiam ab eodem Loctico primùm Sedi Romanæ promissus S. ille denarius; atq; ex eo, ut creditur, Regnum Pontificiæ Curiæ tributarium factum. Superiùs enim demonstratum, longè altius, quam ab ætate Loctici petendâ promissi Denarii originem; tametsi non negem, *Duglossum* (ideo tamen refutatum â Cromero *L. 4. p. 73.*) scribere: *regnante apud Polonos Vladislao Loctico, ad unius obuli præstationem obligatos Polonos fuisse, cum priùs tres obuli & cribrum avenæ de unâquâque familiâ pensitatum esset.* Nec etiam eâ demum ætate Pontifices potestatem coronandi Imperatores atque Reges sibi vindicasse, sine gravi veritatis jacturâ admitti potest; id quod pariter passim supra notatum. Prudentius apparentem illam pugnam conciliat *Cromerus* verbis sequent: *Quod vero ad Regnum attinet, ut non impediret Pontifex, quò minùs Poloni jure suo uterentur (ne Philippum Regem Francorum offenderet) secreto tamen voluntatis suæ significationem Gerardo dedit. Eamque Gerardus literis suis regi descripsit: ipse verò Avinione, ubi tunc degebat Pontifex, mansit, suam cum Cruciferis litem persequens. Cum igitur sententiam Pontificis, non tam rescripto ipsius quam literis Gerardi perspectum haberet Vladislaus atque Proceres Poloni, Comitiis Cracoviam indictis ad vicesimam diem Januarii Mensis, Vladislaus cum uxore Hedvigi in Basilicâ Cracoviensi tunc primùm restauratâ & consummatâ, ab Archiepiscopo & cæteris Episcopis solenni ritu coronatur, anno Christi 1320. Atque ex eo tempore jus coronandi Reges atque ipsa regni insignia Gnesnâ Cracoviam propter amplitudinem splendoremque urbis & plurimas proximasque commoditates translata sunt. L. 11. pag. 281.* Eòque faciliùs *Nicolai Burgundi*, Viri Prudentis & Eloquentis relationi subscribimus, cum nullum ex misso diademate regio documentum amissæ pristinæ libertatis dependeat. Ita vero Burgundus *Denique Vladislaum Locticum Poloniæ ducem avulsurus à corpore Imperii, misso diademate Regem appellat, fide*

accepta, quod in tanti beneficii gratiam propelleret ille in Provinciam Brandenburgensem Litvanos, qui Cæsarem detinerent in Germaniâ occupatum bello domestico. Cæterum Litvani eâ tempestate Christiana sacra nec dum acceperant, cum Teutonico ordine continenter bellare soliti: at tum quidem Pontifex Magistrum Ordinis ad duorum annorum inducias compulerat, quò liberius barbari grassarentur. lib. 2. Malè quidem, nec sine doloris sensu id habuisse Imperatorem Ludovicum IV. vel inde colligitur; quod in *Constitutione quâdã ad Ordines Prussiæ Teutonicos* emissâ, *Casimirum* Successorem Loctici, appellet *Casimirum de Poloniâ*, eidemque tacitè exprobret tituli Regii usurpationem verbis istis: *Kazimirus, qui se nominat Regem Poloniæ: apud* Goldastum *Tom. 2. p. 86.* Negati tamen tituli tantum Robur non fuit, ut Poloniæ Reges & tituli legitimo usu abstinuissent, & supremo excidissent majestatis jure. Unica nobis superest sollicitudo, quâ tamen facile expedire animum dabitur: Cromerus enim disertè scribit, Johannẽ P. M. Vladislao apertè Regnũ decernere noluisse, ne Joannem Bohemum & Socerũ ejus Philippum Regem Francorũ offenderet, tacitè tamen pro Rege illum agnovisse, legatum ejus tanquam à Rege missũ admittendo. Non potius inde Bohemo in Poloniam, quam Polono jus fuisse, â Pontifice creditum fuit. Ex veteri more apud Romanam Curiam in similibus casibus observato & ad nostram ætatem transmisso id factum, quo dissi-

dentibus de Regno Principibus, ejus, qui Regnum possidet, Legatus admittitur, ne vel interim res sacræ in regno illo detrimentum capiant, vel quia in hujusmodi casibus controversis Principibus moris est, *possessionem sequi*: Publicâ interim metu odii adversæ partis vel negatâ vel in opportunius tempus dilatâ confirmatione.

Recens exemplum parallelum in Job. de Braganza vid. in Thuldeno ad A. 1656. pag. 301.

SECTIO IX.

DE POLONIA NUNQUAM TRIBUTARIA,

Et imprimis de

Antiquo, vero, ac optimo Regum Poloniæ in Borussiam jure, belli, Pactorum, spontaneæ subjectionis & præscriptionis legitimæ titulis confirmato, exclusis Pontificum M. Imperatorum & Cruciferorum prætensionibus.

§. I.

Prima Polonorum in Prussiam juris exhibentur fundamenta.

IAm ad prodendam Virtutis ac fidei Prussorum in Reges suos memoriam, non arrogantiâ, aut gratiâ, bonæ tantùm conscientiæ pretio ducor. Prima quidem gentis nostræ ætas freni impatiens fuit, excussis sæpe justis Possessoribus suis, Poloniæ Monarchis. Ast ubi crescentibus annis, belli pacisque artibus domata, habenas Principum nostrorum admisit, tam leni jugo assveta sensit in posterum, quos ferret Dominos, æquos an iniquos. Primus Imperantium Sarmatiæ, *Boleslaus Chrobri*, sub initium Seculi XI. arma in Prussos movit, indignam D. Adalberti necem, & barbaram in Christianos sæviendi licentiam ulturus, ipsamque Regionem suo adjecturus Imperio. Cessit ex sententiâ consilium. Supplices enim Prussi pacem à Rege petunt, & impetrant: tributum pendunt, & pensuros se quotannis promittunt. Referunt id uno ore omnes ferè Annalium Polon. & Prussicorum Commentatores, *Vincentius Kadlubko L. 2. Epist. 13. p. 138. Dlugossus Tom. I. histor. Pol. L. 2. pag. 152. Gvaguinus in Sarmat. Europ. fol. 18. Cromerus L. 3. Schütz in Chron. Pruss. L. 1. fol. 18.* & alii recentiores, qui haud infirmum Veritatis robur trahunt ex *Helmoldo L. 1. Chron. Slavor. c. 1. & 15.* rem ita tradente: *Eodem quoque tempore Bolislaus Polonorum Christianissimus Rex, confœderatus cum Ottone Tertio, omnem Slaviam, quæ est ultra Odoram, tributis subjecit, sed & Russiam & Prussos, à quibus passus est Adelbertus Episcopus; cujus reliquias tunc Boleslaus transtulit in Poloniam.* Verba certè tam clara & perspicua sunt; ut eis lucem eripere ingenioso magis quàm valido conatu allaborent consummatissimi aliàs Polyhistores Germaniæ, Schurzfleischius *Diss. de Reb. Prussicis 12. & Conringius in Exercit. I. de Republ. Imper. Germ. n. 37. & L. de Finib. Imperii Romani c. 28.* Fidem E. luculentæ illi relationi adjungere non renuêre Exteri Scriptores, *Cranzius L. 2. Vandaliæ c. 34. Antonius Magini Part. 2. Geograph. fol. 156.* & alii. Regia verè Boleslao nostro laus fuit, de alieno certare. Non mera illi amplificandi Regni sui cupido. Religionis Christianæ adversus vim Prussorum injustam protegendæ præcipuum fuit studium. Justa belli causa cui vis bellica

Objectio German. Scriptor. refutatur.

Causæ in Prussos belli justificæ & svasoriæ legitimantur.

ſpem bonam præbuit! ſubnaſcentibus ſenſim aliis, quæ novum jus Regibus noſtris peperêre. Atque illam ob cauſam Conſtantinus Licinio, & Imperatores alii, Perſis, cultus Chriſtiani Perſecutoribus, bellum intulêre. Euſebius *in Vita Conſt. L. 2. c. 1. 2. 3.* Niceph *L. 21.* Socrat. *L. 7. c. 18.* Cùm verò Pruſſi injuſto ſe committentes bello culpâ quaſi damnum Regi noſtro dediſſent, nova inde emerſit obligatio ad ſumptus belli & damna reſarcienda: Tributumque inſuper victis à Victore indictum, ut firmum hic ſibi ſtabiliret ſecuritatis monumentum. Hæc ſunt illa tam illuſtria atque inconcuſſa Poteſtatis à Sereniſſimis Regibus noſtris in Pruſſiam acquiſitæ Principia, Jure Nat. Gentiumque firmata, deducta verò ac exemplis roborata à Grotio *L. 2. c. 1. §. 1.* & *L. 2. c. 20. §. 1. 49.* it. *L. 3. c. 1. §. 3. L. 3. c. 15. §. 6.*

§. II.

Vacillat fides Pruſſorum metu extorta.

Neque tamen firma atque ſtabilis diu manſit Pruſſorum fides, vi & metu extorta; quæ licet foris neceſſitati ſervierit, intus tamen in animo nondum firmas egerat radices. *Haud facilè enim libertas & Domini miſcentur.* Prorupit verò illa ſub *Mieczeslao II.* cui imperata facere detrectabat Gens deſiderio prioris licentiæ accenſa. Nutabat ergo novus in Provinciam iſtam Dominatus, donec ex *Boleslai II. Audacis* dicti virtute novum illi robur acceſſit. Victis enim hoſtibus ſolita iterum tributa impoſita. Sed nec tunc

Tacitus hiſt. 4.

tunc coaluerunt ſolidè Libertas & Principatus. Excuſſum enim ſæpe ab illis jugum, cui tamen feſtinatis conſilio & armis *Vladislai I.* & *Boleslai III.* iteratò ſubjecti. Ita velocibus remediis crebri motus conſedêre. Nocuêre verò in poſterum juſto tardiora ſucceſſorum Poloniæ conſilia. Ex illis ſe confirmare Pruſſi, vires recipere & ad internecionem exercitum Polonum delere: ut id ſeries hiſtoriæ dict. Autorum (*quibus jungi poteſt Münſterus in Coſmographia ſua L. 4. p. 897.*) exhibet.

§. III.

Pruſſi inſolentiores redditi Poloniā vaſtant.

Crevit cum fortuna Pruſſorum animus, patebatque illis inſuper univerſa ferè Polonia, in varias per diſſenſum ſciſſa partes, & incendiis bellorum civilium diſtricta. Maxima verò hoſtium vis Maſoviam preſſit, cujus Dux Conradus, cum de Poloniæ præſenti auxilio deſperâſſet, Germanos in auxilium accivit, *qui* fortasſis more *Gentis ſuæ antiquo ſociis pariter ac hoſtibus ſervitutem imponere* conabantur. Ambiguus certè tum erat auxiliorum animus, ſua tantùm etiam cum pernitie implorantium appetens commoda.

Ordo Teutonicus à Conrado Maſovo in auxilium vocatus maximo Patriæ incommodo.

Tacit. hiſt. 4.

§. IV.

Pia Teutonicorum arma initio, non eâdem tamen fide continuata.

Pia quidem ac felicia erant principio Teutonicorum bella, non tantùm pro ſociorum ſalute ſed & univerſæ rei humanæ ac divinæ communi cauſâ ſuſcepta; aſt ſucceſſu temporis nec intra fidei nec juris modū continuata. Invitabant verò illos ad mutuam Polonis opem ferendam varia Socie-

Neceſſitas auxilii etiā ſpontanei oſtenditur.

Societatis humanæ vincula atque necessitudines.

(1.) *ex jure cognationis Naturalis.*

Nam & *jure cognationis naturalis* inter homines ad succurrendum oppressis tenebantur. *Naturâ* enim *omnium hominum interest, ut aliis consulatur*: Judicio Livii *L. 39*; *Nec defendi homines sine vituperatione posse,* rectè censebat olim Tullius. Consule fus. hâc de mater. Grot. *L. 1. c. 5. §. 2. & L. 2. c. 25. §. 7. & L. 3. c. 19. §. 9.* Ipsum quoque

(2.) *cognationis Spiritualis.*

jus cognationis Spiritualis defendi voluit Polonos, ejusdem cum Ordine Teutonico religionis socios. *Patiente* enim *membro, compatiantur ei reliqua membra* 1. ad Corinth. 12. v. 26. *Alterius sic*
Altera poscit opem res & conspirat amice.

(3.) *vi officii cruciatæ militiæ.*

Accedit illa officii necessitas, quæ à Cruciatâ militiâ postulabat, ut oppressis Christianis contra quoscunque infideles, nullâ spe lucri temporalis, prompta porrigeret auxilia. Ut id patet ex *variis ordinis Teutonici Chronicis.* item Baronio *Tom. 12. annal.* Et in formulâ inaugurandi magnos Ordinis Teutonici magistros ab Henrico Loen conscriptâ, memoranda hæcce continentur: *Viduas, pupillos, pauperes, ac debiles ab omni oppressione protegas: omnibus te adeuntibus benignum, mansvetum atque affabilem pro tuâ dignitate te præbebis, & ita te geres, ut non ad tuam, sed Ecclesiæ Catholicæ, & Ordinis tui, totiusque Populi utilitatem, gubernare, dignumque præmium benefactorum tuorum non in terris, sed in cælo videaris expectare; quod ipse præstare dignetur, qui vivit & regnat Deus in secula seculorum Amen.*

(4.) *ex causâ communi vicinarum gentium.*

Imò vicinorum & imprimis Imperatorum res simul agebatur, quibus non leve

leve ex prævalente Prussorum potentiâ imminebat periculum; ad quod avertendum Ordo ille Imperatorum Pontificumq; liberalioribus, quàm par erat, promissis incitabatur. Metuebant enim sibi ab illo Hermocratis: *Pro certo habendum est, si nos vicini negligant, postquàm nos conflagraverimus, extemplo ad eos id incendium trajecturum,* apud Thucydidem *L. 4. c. 13.* Succedit tandem illud fœderis, quo auxilia sibi à Cruciferis pacti sunt Poloni, vinculum firmissimum.

(5.) *ex fœdere.*

Vel inviti in opem ferendam trahebantur Ambrosii decreto: *Qui non repellit,* inquit ille, *injuriam à Socio, tam est in vitio, quàm ille qui fecit. Officior. L. 1. c. 36.* Ast quis tandem ille auxiliorum exitus? Anceps certè, infelix & Regno nostro inauspicatissimus.

Auxilia Teutonicorum non ex fide præstita.

Quæ enim in hostes initio capiebantur Arma, succedente ætate in Socios Polonos conversa, paulò infra videbimus; & quæ justis Dominis vi Societatis, restituenda erant, ea Teutonici Victores tanquàm propria sibi vindicabant: ut id suo loco clariùs patebit. Jam juris inspiciamus titulum, *an æqua, an verò iniqua potiùs judicanda illa alieni usurpatio.*

An Cruciferi jure societatis Prussiam sibi rectè vindicant.

Non me latet, Socium Socio naturaliter teneri ad reparationem damnorum, quæ ob negotium commune aut publicum eveniunt. Nam opera gratis vix præstari solet. Credibile E. est, nisi causa alia appareat, puta aut beneficentia mera, aut contractus antecedens, *spem ex hostibus lucrandi spectatam in damni & operæ compensationem,* argumen-

In quantum Socius Socio teneatur ostenditur.

gumentante ita *Grotio L. 3. c. 6. §. 23.* Et *Ambrosius* historiam tractans Abrahami, moris istius æquitatem ostendit verbis seq. *Sanè his, qui præstò fuissent, in adjumentum fortè sociati, partem emolumenti tribuendam asserit, tanquàm mercedem laboris: L. 1. de Abraham c. 3.* Hujus verò argumenti robore in adstruendam Ordini Teutonico Prussiam instant maximè adversæ causæ Patroni, Viri aliàs de re Literaria optimè meriti *Schützius L. 1. Chron. Prussiæ fol. 17. Hartknoch Part. 2. Chron. Pruss. c. 1. §. 14. D. Venator in Tractatu eleganti* **Historischer Bericht vom Teutschen Ritter-Orden** *L. 3. c. 18. p. 448.* Verùm Jure Gentium docemur, Socios quidem in partem admitti prædæ, ast rerum tantùm mobilium, non territorii aut urbium, de quibus bellum geritur. Hæc enim illi cedere solent, cujus nomine bellum suscipitur. Ex quo gentium jure Antiochus Magnus argumentabatur, Cœlem Syriam Seleuci factam, non Ptolomæi, eò quod Seleuci bellum esset, cui Ptolomæus navâsset operam. *apud Polybium L. 5.* Sic in bello, quod Ætholi gerebant, adjutoribus Romanis quidem captivi & res mobiles cedebant, Ætholis autem urbes & agri. *Vid. plura illustriora Exempla in Livio L. 4. 24. Dionysio L. 6. Polybio L. XI.* Compensatæ ergo satis impensæ ab ordine sacro operæ, si quicquid hominum rerumque mobilium bello captum, illius esset, acceptâ simul spe largiori majora occupandi, modò quæ Polonis olim à Prussis erepta erant, illis

Objectiones adversæ refutantur.

illis tanquàm antiquis ac veris dominis restituerentur.

§. V.

Salva jam erit Annalium Polonicorum Veritas; quibus fœdus inter Socios belli, Conradum Ducem Masoviæ & Cruciferos, his legibus initum continetur: *ut Cruciferi contra Prussos sedulò bellum gererent, ubi verò eos domuissent, ut Culmensem ditionem redderent; cætera verò, quæ de barbaris cœpissent, arbitrio bonorum virorum ex æquo secum, sive cum posteris suis partirentur; contra Polonos nil hostile tentarent, & hæc omnia pacta sunt sub pœna amissionis bonorum.* Et ista quidem ex antiquo MSCTO à Stanislao Hosio sibi communicato refert *Cromerus L. 7. p. 195. Altius* rem petunt *Dlugossus Tom. 1. L. 6. ad A. 1230. p. 579. Miechoviensis L. 3. c. 33. p. 125. & 126.* qui enumeratas fœderis conditiones in publicis Ducum Masoviæ monumentis à nonnullis fide dignis viris visas sæpius & tractatas memorant. Sarnitius jure feudi Provinciam Cruciferis ad tempus attributam fuisse scribit *L. VI. p. 273.* Seqvuntur illorum fidem reliqui Annalium Polon. Compilatores.

Ex isto Societatis jure pactum inter Conradum Masoviæ & Cruciferos initum.

Ejusque pacti probatur veritas.

§. VI.

Pacto verò huic tam æquo, ipsisque juris Naturæ atque Gentium fundamentis innixo, vim ac robur veri subtrahere student, plerique Germaniæ Scriptores & Juris Publici Commentatores: Quibus accessêre ex nostris curiosissimi aliàs Anti-

Contra Pacti existentiam nitûtur alii.

Antiquitatum Prusſicarum Scrutatores, *Schützius L. 1. Chron. Pruſſ. fol. 17. Matthæus Waisſelius Chron. fol. 48.* & ille tam verecundi in patriam oris *Hartknochius parte 2. Chron. Pruſſ. c. 1. §. 14.* Ad rationes verò illorum examinandas tranſeamus, materiæ diſcutiendæ tam nobilis neceſſitate urgente.

Obj. 1. Primò quidem, ex fœdere Cruciferorum cùm Duce Maſoviæ, non verò cum Regibus Poloniæ aut Regno percuſſo, nihil Juris ipſi Regno enaſci, aut illi injuriam indè inferri, deducitur.

Reſp. Aſt Duces Maſoviæ eâ ætate Clientelæ vinculo Regno Poloniæ obſtrictos fuiſſe, teſtantur citati Auctores, *Miechovienſis* dicto loco *c. 32. & ſeq. Dlugoſſius ibidem. Stanislaus Lubienſki in Opere Poſthumo in Monitis de gerendo Epiſcopatu p. 290. no. 127. Cromerus L. 7.* & *Neugebauer L. 3.* Qui duo poſteriores Principes ſangvinis (quorum numero non poſtremus erat Conradus Maſoviæ Dux) in Comitiis frequentes adfuiſſe, aſſerunt. Nec ſine ratione Conradum illum Ducem Maſoviæ Poloniæ quoque Ducem appellant *Petrus de Düsburg Part. 2. Chron. Pruſſ. c. 5.* & *Waiſſel in Chron. ſuo. fol. 48.* Non imbelle itaque *Dlugoſſi* argumentum eſt; quo contra vim legum fundamentalium, in præjudicium Regni, dimidiam ferè Prusſiæ partem ſummâ injuriâ Cruciferis à Conrado conceſſam, conqueritur, *dicto loco.* Accuratiùs ergo dixeris, ſi non

non fœdus, ſed ſponſionem inter Conradum & Cruciferos interceſſiſſe dixeris; Ex quâ Reges Poloniæ, qui ſupereminens tunc in Duces Maſoviæ habebant Imperium, nullam in partem obligatos fuiſſe, Juris Gentium docemur Principiis. Ut enim benè olim Romanus Poſthumius: *Hoſti nihil ſpoſpondiſtis: Civem neminem pro vobis ſpondere juſſiſtis, nihil ergo vobis nec nobiſcum eſt, quibus nihil mandaſtis; Nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egiſtis.* Benè idem: *Injuſſu Populi nego quicquam ſanciri poſſe, quod populum teneat:* Et hoc non minus rectè: *Si quid eſt in quod obligari populus posſit, in omnia poteſt.* Ita cur Reges noſtri communi Principum causâ excludendi? cur privatorum etiam Jure ac beneficijs indigni judicandi?

Pergunt adverſarum partium defenſores & conciſam atque attritam Conradi Maſovi potentiam facilè eundem in concedendam Cruciferis univerſam Prusſiam vel invitum pertrahere potuiſſe. *Obj.* 2.

Non inficior equidem multos Principes hoſtium metu alterius clientelæ ſe ſubmiſiſſe, ita ut potentiori Patrono parere, jure vel injuriâ neceſſe habuerint, amisſis Majeſtatis ac ſummæ Poteſtatis juribus, nec rarò ipsâ ſervitute in ſocietatis inæqualis locum ſuccedente. *Bodin. L. 1. c. 7.* Aſt improba hæc ſunt & nefaria Principum iniquiorum conſilia, velle ex alterius calamitate lucrum ſentire: cujus rei exempla illuſtriora in conſimili causâ collegit Machiavellus *in Principe ſuo c. 13.* Hæc ſi Ordini Teutonico fuiſſe ſtudia, ſiniſtra certè ac turbida admittis, in ipſis certè *Reſp.*

 vindi-

vindicati sibi in Prussiam tituli, principiis morale quoddam malæ fidei latens vitium, & ad posteros translatum agnoscas oportet: Quod tamen Jure Gentium pactis & præscriptione tolli posse non inficias eo. Ad Petri de Dusburg verò, Autoris ferè coævi examinandum testimonium vocat ordo: *Dux Poloniæ*, inquit ille, *præhabita maturâ deliberatione de consilio, voluntate unanimi & consensu expresso uxoris suæ Agasiæ & filiorum suorum Boleslai & Casimiri, & Semoviti dedit dictis fratribus domus Teutonicæ præsentibus & futuris Colmensem & Lubaviæ, & terram, quam possent favente Domino in posterum de manibus infidelium expugnare cum omni jure & utilitate, quibus ipsi & progenitores sui possederunt in perpetuum possidendam. Nihil sibi juris aut proprietatis in ea reservans, sed renuncians omni stationi juris vel facti, quæ sibi aut uxori suæ vel filiis sive successoribus posset competere in eisdem.* Istius donationis factæ veritatem adstruere conatur *Odoricus Raynaldus Tom. 3. Annal. ad A. 1230. no. 25.* citatis in subsidium literis Gregorii IX. P. M. *L. 8. c. 289.* Idem quoque sentire videtur Æneas Sylvius in Europâ suâ c. 29. verb. seq. *Jam enim Masoviæ Duces qui ejus se terræ Dominos affirmabant, jus suum fratribus concesserant.* Cujus fidem sequi ac penè verba ipsa imitari voluit Münsterus in Cosmographia sua *L. 5. de Prussia p. 777.* Verùm istis adversæ causæ testibus, domesticis, non sine affectus in populares suos suspicione dimittendis, testes quoque alios, patrios quidem, antiquos tamen, nec ab illâ ætate

L. bonæ fidei 109. ff. de V. S. & C. fin. X. de Præscript.

3. Obj.

Resp.

Scriptores Poloni cur majorem hîc fidem mereantur.

te longè remotos, fidemq; monumentorum publicorum secutos ac pro antiquiore Polonorum in provinciam istam jure, re favorabili, scribentes supra jam opposuimus. Nec *Petri de Dusburg*, Scriptoris etsi coævi, tam stabile atque inconcussum est testimonium. Quid enim sperandum ab homine sacris Ordinis Teutonici addicto, cujus certè adulatio, fœdum servitutis crimen, pronis tunc auribus à Dominis alieni cupidis accipiebatur. Nulla genuina in adstruendam rei traditæ fidem citata ab illo monumenta publica: imò promptæ in quamcunque traditionem credulitatis convictum Autorem, dum exhibet *Matthias Strykowski Ossostevicius L. 7. c. 2. p. 297.* longe abest, ut ad credendum homini credulo nos deduci patiamur. Reliquæ, quæ urgentur, rationes conjecturis meris nituntur: Cruciferos nempe nunquàm Palæstinam & illas Orientis delitias relicturos fuisse, si nulla spes apparuisset, vindicandi sibi & belli jure occupandi Borussiam; nec hospites illos tam magnificas & amplas sedes Thorunium, Culmam & alias urbes atque Castella sibi facturos, si migrandi ex illis necessitas pacto indicta fuisset; neque etiam constare, an Conradus Masovus Magistrum Ordinis, ut legibus fœderis satisfaceret, monuerit unquam. Sed enim spontene Ordinem Teutonicum è Palæstinâ in has oras migrâsse credamus? Testantur Annales, quorum omnium nomine *Æneam Sylvium* hic citare lubet, *Cruciferos, cum amisissent Ger-*

Petri de Dusburg testimonium dubii.

Reliquæ objectiones, quæ conjecturis nituntur, refutantur.

Resp. (1.)

Germani Ptolemaidem Syriæ Civitatem, inde fugatos in Germaniam rediisse, & ne rei aliàs militaris periti per ocium marcerent, Prussiam à Friderico Imperatore sibi concedendam impetrasse: dicto loco p. 368. Unde jam ejectis & ad illam miseriam redactis tantus divitiarum apparatus. Non ex Oriente, sed à vicinis Germaniæ Principibus obtenti rerum gerendarum nervi, & ex occupatis Borussiæ præcipuis partibus maximi quæstus facti, conflatæque ex prædis devictæ gentis facultates immensæ.

Resp. (2.) Taceo Veteratorias illas artes, quibus auxiliares in socios omni ævo usos fuisse testantur universæ penè historiæ antiqua monumenta. Ita Constantinopolitanus Imperator, ut vicinis hostibus occurreret, decem millia Turcarum in Græciam immisit, qui confecto bello illinc abire noluerunt. Quod sanè futuræ servitutis totius Græciæ, tum Christianæ religionis extinctæ initiû dedit. *Id ergo semper cavendum Ducibus*, (ut cum Livio L.25 c.33. loquamur) *exemplaque pro documentis habenda, ne ita exteris credant auxiliis, ut non plus sui roboris suarumque propriè virium in castris habeant.* Pari modo, auxiliari quippe præsidio, possessæ à Cruciferis ditiones Prussicæ, in proprietatem postea, nullo jure vindicatæ; non renitente tunc Conrado Masovo viribus longe inferiori.

Resp. (3.) Reliquit ergo Conradus noster posteris documentum perniciosi consilii; quod propriis viribus non satis instructus, potentibus exterorum auxiliis omnem Reipublicæ salutem concrediderit, hostibus pariter ac sociis victima factus.

§. VII.

§. VII.

In defectu Originalium monumentorū præsumtioni fortiori locus est pro Poloniæ juribus.

Sed privatorum hæc sint privata certamina, anceps utrisque victoria. Vanum enim esset pro victore se gerere, nec Victorem se certò sentire. Vera illa & ut vocant originalia desunt pacta, publicis literarum monumentis consignata; quæ partim injuriâ ætatis tunc non satis curiosæ, partim etiam fortassis studio Cruciferorum periêre; dubio ita remanente quæstionis præsentis statu, quem partium sibi invicem adversarum studiosi quilibet pro se interpretari conantur. Interim militat pro causâ nostrâ Juris Antiquioris favor, militat in defectu monumentorum sanè interpretationis ratio. Semper enim spectandum est, quæ mens eorum fuerit, qui primi pacto auxilia sibi mutua postulavere: Quæ credenda est talis fuisse, ut quàm minimum ab æquitate naturali recesserit: De quâ actum fusius §. 4. Dimittamus verò rem istam, ipsius Conringii sententiâ (c. 28. p. 588.) dubiam. Quidni enim hic obtineat effatum illius Romani Equitis ad Tiberium? *Spectamus quæ coram habentur: Abditos Principis recessus exquirere illicitum, anceps: nec id eo assequare.* Ad oppugnanda ergò, quæ fortiora videntur, aggrediamur monumenta. In *Tabulis* nempe *Fridericianis* omne robur positum videtur, quæ sequentibus conceptæ verbis exhiberi solent: *Proposuit coram nobis, quod devotus noster Conradus Dux Masoviæ & Cujaviæ promisit, & obtulit ei providere, & fratribus suis de terra, quæ vocatur Culmen & in alia terra inter Marchiam suam videlicet*

Grotius L. 2. c. 1. §. 6. no. 1.

Tacitus Annal. 6.

Objectio nova à Donatione Friderici II. Cruciferis factâ.

licet & confinia Pruthenorum, ita quidem, ut laborem assumerent, & insisterent opportunè ad ingrediendum & obtinendum terram Prussiæ, ad honorem & Gloriam veri Dei, quam promissionem recepisse distulerat, & Celsitudinem suppliciter implorabat, quod si dignaremur annuere votis suis, ut auctoritate nostra fretus, inciperet aggredi & prosequi tantum opus, & ut nostra sibi & Domui suæ concederet, & confirmaret Serenitatis tum terram, quam prædictus Dux donare debebat, quam totam terram, quæ in partibus Prussiæ per eorum instantiam fuerit acquisita & insuper domum suam immunitatibus, libertatibus & aliis concessionibus, quas de domo terræ Ducis præfati & de Prussiæ conquisitione petebat, nostræ munificentiæ privilegio muniremus, ipse oblatum donum dicti Ducis reciperet & ad ingressum & conquisitionem terræ continuis & indefessis laboribus bona domus exponeret & personas. Nos igitur attendentes promptam & expositam devotionem ejusdem Magistri, qua pro terra ipsa suæ Domui acquirendæ ferventer in Domino æstuabat, & quod terra ipsa sub Monarchia Imperii est contenta: confidentes quoque de prudentia Magistri ejusdem, quod homo sit potens opere & sermone, & per suam suorumque fratrum instantiam potenter incipiet & conquisitionem terræ viriliter prosequetur, nec desistet inutiliter ab inceptis authoritatem eidem Magistro, successoribus ejus & domui suæ in perpetuum tam prædictam terram, quam à præscripto duce recipiet, ut promisit, & quamcunque aliam dabit, nec non totam terram, quam in partibus Prussiæ conquiret, Domino favente velut

vetus

vetus & debitum jus imperii in montibus, planicie, fluminibus nemoribus & in mari, ut eam liberā ab omni servitio & exactione teneant immunem & nulli respondere proinde teneantur. Diplomatis istius Imperatorii auctoritate seduci se passi sunt ex nostris *Schützius in Chron. Pruss. fol. 16. Waisselius in Chron. Prussiæ fol. 48.* & plerique exterorum: Dubiam verò reddunt *Cromerus L. 7. pag. 195. Hartknoch in Chron. Prussiæ part. 2. c. 1. §. 14.* solidissimo imprimis hoc argumento: Nempe nullum Imperatoribus unquàm in has vel etiam plerasque alias orbis Regiones fuisse imperium, nec vi Armorum eo usque extensam jurisdictionem, neque ullo documento constare, an Conradus à Friderico sub lege donandæ Cruciferis Provinciæ auxilia impetraverit: quo fortassis argumento motus *Castrensis in consilio quodam Juris,* donationis Culmensis & Thorunensis donationis Ordini factæ veritatem impugnat. Imo nec tantam titulo, quo se Dominos mundi esse gloriantur, inesse vim ac efficatiam præcedenti dissertatione expositum. Non sine ratione itaque Hartknochius causam Gentis nostræ agens, Arminii justâ in Imperatores exprobratione utitur: *Quis est autem Cæsar? & quid ad illum, quid agat nostra Prussia? num ego me interpono Romanis?* apud Florum *L. 3. Hist. c. 2.* Quis E. jam veteris illius & debiti Juris Imperii in Prussiam acquisiti titulus, quem tam magnificè jactant *Erasmus*

Resp. Imperatoribus nullum in hanc Provinciam jus esse.

Nec (1.) ex titulo quo se Dominos mundi appellant.

 Stella

Stella de Antiquit. Pruss. L. 2. p. 15, Wurffbein in Rel. Hist p. 6. Venator c. 2. p. 16. Dixeris fortè *inventionis titulo* Imperatoribus, ope Cruciferorum intercedente, acquisitam provinciam. Sanè inventio nil Juris tribuit nisi in ea, quæ ante inventionem nullius fuerant; atqui Prussi cùm ad eos Cruciferi venerunt, etsi Idololatræ erant, gravibusque peccatis involuti, nihilominùs publicè atque privatim rerum possessionùmque suarum dominium, vel proprio, vel ab antiquis Poloniæ Monarchis concesso jure, habuerunt, quod illis sine justâ causâ eripi non potuit. *Fides*, enim, ut rectè inquit Thomas, *non tollit Jus naturale aut humanum. Imo credere, infideles non esse rerum suarum Dominos, hæreticum est: & res ab illis possessas ob hoc ipsum eripere furtum est & rapina, non minus quam si idem fiat Christianis: articulo 12. Non possunt,* inquit etiam ille magni nominis Hispanus, Victoria, *Christiani Seculares aut Ecclesiastici potestate civili privare infideles, eo duntaxat titulo, quia infideles sunt, nisi ab eis alia injuria profecta sit L. de Potest. Civ. part. 1. no. 9.* Ejusdem Magni Viri argumento uti porrò liceat: *Non magis istâ ex causâ in Prussos Germanis Jus quæsitum, quam Prussis in Germanos fuisset, si qui illorum priores in alterius ditionem venissent.* Plures rationes ex Doctoribus Romano-Catholicis congessit Grotius *de mari Libero c. 2.*

Nec (2) inventionis titulo.

An Pontifícis M. autoritate Pruss. & Cruciferis rectè subacti?

§. VIII.

Accessit novus ex Religione stimulus, quo Pon-

Pontifices Maximi & alii Principes ὁμόψυχοι Ordinem Teutonicum in Gentiles Prussos excitabant, pietatis fortè obtentu obruendos. Eum in finem *à Papa Cœlestino III.* insigniû loco fratribus concessus clypeus nimirû cruce notatus, cujus imaginem & sensum versibus sequentibus conceptum *Waisselius* exhibet in *Chron. Prussiæ p. 40.*

Obj. 1, ab origine cruciatæ militiæ.

Babst Cœlestinus recht der Dritt
Dies Wapen hat getheilet mit
Dem Deutschen Orden/ daß sie frey
Errinnern sollen sich dabey/
Sie sollen streiten allezeit/
Woll für das Creutz und Christenheit
Darüber wagen Leib/ und Lebn
Und was sie gutes haben danebn/
Auch Christi Leidn betrachten recht
Als seine Ritter/ treue Knecht/
Ihrs Ordens Regel gleicher weiß
Solln halten stets mit allem Fleiß.
So lang sie das gethan fürwahr/
Hat sie GOtt gesegnet immerdar/
Daß sie löblich mit Glück im Streit
Erworben haben Land und Leut.

Tantam verò Pontificibus Doctores quidam Romano-Catholici tribuunt autoritatem, ut non modo civitates provincias & Regna, quæ anteà Christianam Religionem professa & deinceps ab infidelibus usurpata fuerint, cuilibet indubitanter concedere, sed etiam ea addicere possint, quæ Christianorum nunquam fuere, ad Christianæ fidei

(2) ab universali Pontificum in orbis Partes Potestate, à quibusdam Ddbus Rom. Cathol. approbata.

dei & Evangelii propagationem atque Idololatriæ exstirpationem: Quam sententiam fovent *Mandellus Consf. 769. Vol. 4. Camill. Borell. de Præst. Regul. Cathol. c. 46. no. 224. Marta de Jurisd. Centur. 1. c. 24. n. 31. Paramus de orig. Inquis. L. 3. Q. 1. n. 45. Solorzanus de Indiar. Jur. L. 2. c. 23. n. 68.* Et alii in assensum opinionis suæ citati authores à Diana *Resol. moral. T. 7. Tract. 7. Resol. 17.* Confer. Alex. Carerius *L. 2. de Potest. Rom. Pontif. c. 19.* & alii magno numero collecti à Voetio *Vol. 2. Disp. de temporali Potest. Papæ.* Hôc tam sacro Crucis Charactere insigniti, tantâque à Pontifice M. Honorio III. & Friderico II. Imp. instructi potestate Teutonici diuturno quinquaginta annorum bello, universam Borussiam suo subjecêre imperio, priscis incolis exstinctis partim, partim in miseram servitutem & ad Christiana sacra adactis.

Sub Hermanno Salza.

(3.) *à Religionis propagandæ necessitate.*

Resp. (1.) *Non laudandum id institutum*, fatetur ipse celeberrimus Conringius *c. 29. p. 588.* Rectè enim hic monet Grotius, Veritatem Religionis Christianæ argumentis merè naturalibus persvaderi non posse: Et Christo omninò hoc placuisse, ut ad legem suam recipiendam nemo hujus vitæ pœnis aut earum metu pertraheretur, *Rom. 8. v. 15. Hebr. 2. v. 15. Johann. 6. v. 67. Luc. 9. v. 54. Matth. 13. v. 24.* Confer. ejus *L. 2. c. 20. §. 48.* Nec eadem omnibus Romano-Catholicis Doctoribus est sententia, quorum magna pars amicè cum opinione nostrâ conspirat; nullam nimirum belli justam causam esse, Religionis propagandæ studium: Eorum numero sunt Vasquius c. 24. Contr.

Religionis Christianæ vi propagandæ falsa esse principia.

(2.) *Nec eadem omnium est Doct. R. Cath. sententia.*

Contr. Illustr. Victoria *part. 2. de Ind. n. 11.* Ayala *L. 1. c. 2. n. 28.* Thom. *22. 4. 66. Art. 8.* & alii collecti à Grotio *de mari Libero c. 4.* quibus addatur Josephus à Costà *de procuranda salute Ind. L. 2. c. 2.* Omnium vero nomine audiamus *Cajetanum* hâc de re disserentem. *Quidam*, inquit, *infideles nec de jure nec de facto subsunt secundum temporalem jurisdictionem Principibus Christianis, ut inveniuntur pagani, qui nunquam Imperio Romano subditi fuerunt, terras habitantes, in quibus Christianum nunquam fuit nomen. Horum namque Domini, quamvis infideles, legitimi Domini sunt, sive regali sive politica regimine gubernantur: nec sunt propter infidelitatem à Dominio suorum privati, qvum Dominium sit ex Jure positivo, & infidelitas ex divino jure, quod non tollit jus positivum, ut superius in Quæstione habitum est. Et de his nullam scio legem quoad temporalia. Contra hos nullus Rex,* nullus Imperator, *nec* Ecclesia Romana *potest movere bellum ad occupandas terras eorum, aut subjiciendos illos temporaliter: quia nulla subest causa justa belli, cum Jesus Christus Rex Regum, cui data est potestas in Cœlo & in Terra, miserit ad capiendam possessionem mundi, non milites armatæ militiæ, sed sanctos prædicatores, sicut oves inter lupos. Unde nec in Testamento Veteri, ubi armata manu possessio erat capienda, terræ infidelium indictum lego bellum alicui propter hoc, quod non erant fideles: sed quia nolebant dare transitum, vel quia eos offenderant, ut Midianitæ, ut recuperarent sua, divina largitate sibi concessa. Unde gravissime peccaremus, si fidem Christi* Jesu

Cajetani judicium, infideles Prussos nec Imperatori nec Pontifici subjectos esse.

Jesu per hanc viam ampliare contenderemus: nec essemus legitimi Domini illorum: sed magna latrocinia committeremus, & teneremur ad restitutionē, utpote injusti debellatores aut occupatores. Mittendi essent ad hos prædicatores boni viri, qui verbo & exemplo converterent eos ad Deum: & non qui eos opprimant, spolient, scandalizent, subjiciant, & duplo gehennæ filios faciant, more Pharisæorum. Addit Grotius: Et in hanc formam audimus sæpe à Senatu in Hispania, & Theologis præcipuè Dominicanis decretum fuisse, solâ verbi prædicatione, non bello, Americanos ad fidem traducendos: libertatem etiam quæ illis eo nomine erepta esset, restitui debere, quod à Paulo tertio Pontifice & Carolo V. Imperatore, Hispaniarum Rege comprobatum dicitur *dicto loco.* Sed quid miramur propensum tunc Cœlestini P. M. in duriores illas propagandi Religionem Christianam artes affectum? Arcana ista sunt Curiæ Romanæ, quibus etiam crescentem Evangelii Doctrinam opprimi, Adriano VI. P. M. svadebat Cardinalis Vollateranus. *Nullum Antecessorum Adriani hæreses reformationibus excidisse, sed Cruciatis, quas vocant excitatis contra eas, Principibus & populis crucis Symbolo insignitis*: apud Petrum Svavem *hist. Concil. Trident. L. 1.* Quid porro obstupescimus illius tam Sacri Characteris tam profanis tamq; ambitiosis conatibus? Sanè colore isto à religione quæsito haud rarò impositum orbi, testantur suspecta illa in politicis nomina, *Ligæ Sacræ* in Galliis, apud *Thuanum*

(3.) *Consilio Dominicanorum in Hispaniâ.*

Arcana Curiæ Romanæ in Cruciatâ militiâ.

Suspecta à fatrorū prætextu nomina.

---

num L. 37. *Zelotarum* apud eundem *L. 40.* *Factionum Stellatæ, Tribulariæ* in Thuringiâ & passim in Germaniâ, apud Fabricium *orig. Saxon. L. 6. & 7.* *Unionis Arragonensis* apud Authorem indicis rerum Arragonensium *L. 3. ad A. 1247.* Cujus judicio præsentem concludere liceat materiam: *Ejus nempe mali contagionem per clara nomina viguisse.*

§. IX.

Erat verò insatiabilis Fratrum istorum avaritia, ut finibus hactenus occupatis non contenti, sociorum Polonorum quoque terras appeterent. Initia belli in principium Seculi XIV. collocanda. Gedanensis tunc Marchia cum vicinâ Pomerelliâ & causa & sedes armorum fuêre. Sed cum apertâ vi haud longè progredi potuissent, ad fraudes patebat recursus. Nam à Marchionibus Brandenburgicis datâ certâ pecuniæ summâ universam ferè Pomerelliam Regno Poloniæ alias debitam, specioso emptionis rei alienæ titulo, tanquam propriam sibi vindicarunt. Qua de re ex nostris consulatur Schützius *L. 2. Chron. Pruss. fol. 55.* E Pomeranis Scriptoribus Valentinus ab Eichstet *in Epitome Annal. Pomer. MST ad A. 1309.* Sed & Michaloviensis Provincia iisdem pene artibus à Poloniæ Regno avulsa & à Cruciferis nullo jure in proprietatem conversa fuit. Tenebant illam Teutonici pignoris titulo à Lesko Cujaviæ Duce, datis huic mutuo trecentis marcis Thorunensibus. Oblata intra constitutum

Cruciferi partem Prussiæ vi primū mox dolo ad se pertrahunt.

A. 1311.

Oo tem-

tempus à Lesko pignoris luitio, quâ non contenti Cruciferi Leskum ad egestatem adactum, oblatis insuper ducentis sexaginta duabus marcis, eò tandem compulêre, ut & provinciâ illâ & omni jure suo abdicaret, teste Cromero *Lib. 11.* Sub eadem tempora non leve pristini Polonorum in illas oras à Cruciferis possessas juris emersit indicium. Episcopi enim Regni Dietericum Magistrum Ordinis, ob intermissam pensionis, quam S. Petri nummum vocant, solutionem, sacris interdixere: nec ab illâ Ecclesiæ censurâ absolvi potuit, quàm intercessione Caroli, Johannis Bohemiæ Regis Filii, & placatis prius Ecclesiæ Præsulibus; ut id disertis verbis scribit Waisselius *in Chron. suo p. 116.*

A. 1329. *Pristini Polonorum in Prussiam jurisdeductio à denario S. Petri à Cruciferis exacto.*

§. X.

Pax inter Polonos & Cruciferos sancita, accedente Pontificis autoritate Anno 1339.

Post varias tandem contentiones, pax inter Casimirum & Cruciferos, arbitrio Caroli & Johannis Regum coaluit, his propemodum conditionibus, ut Cruciferi Pomeraniam, Rex verò Cujaviam retinerent. Non satisfactum à Cruciferis pacto: unde nova belli causa emersit, accedente simul decreto Pontificis, quo A. 1339. Casimiro Pomerania, Cujavia, Dobrinensis Culmensis & Michaloviensis ditiones adjudicatæ, Cruciferis ad damna refundenda & pœnam insuper rupti fœderis dandam condemnatis: teste Cromero *L. 12. p. 299, & 300.* Male id habuisse Imperatorem Ludovicum IV. Bavarum, testantur ejus tabulæ, in quibus juris imaginarii ambitiosa deductio continetur: Exhibet illas Goldastus *Tom. 2. Constit. p. 86. seq.*

Ludovico IV. Imperatore invito.

"Lu-

Ejus Tabulæ exhibentur.

" Ludovicus Dei Gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, magnæ auctoritatis & religionis viro, Fratri Theodorico de Altenburg, Magistro Generali Ordinis Hospitalis Sanctæ Mariæ Hierosolymitani, Domus Theutonicorum, Principi suo; nec non ejusdem Ordinis Fratribus universis, devotis suis delictis gratiam suam & omne bonum.

" 1. Gravi ád nos sæpe querelâ deduxistis, quod Casimirus, qui se nominat regem Poloniæ, cum auxilio Archi-Episcopi Gnetznensis, & quorundam Episcoporum suffraganeorum ipsius, terras, quas à nobis & Imperio vobis collatas, & ab infidelibus proprii vestri sanguinis effusione evictas, absque quæstione cujuslibet per longiora tempora pacificè possedistis, cum exercitu armatorum, nullâ causâ discordiæ inter vos & ipsum motâ, & absque diffidatione & rationabili causa violenter invasit, & per gravissimas cædes hominum cum auxilio infidelium ipsi associantium ipsas devastavit, præcipuè eo tempore, quando ad laudem Dei & utilitatem Christianitatis, cum grandi vestro exercitu & pluribus gentibus vestris contra infideles, multis vos submittendo periculis, processistis.

" 2. Insuper intelleximus, & ad Nos à pluribus fide dignis sæpiùs est delatum, quod prædicti, Casimirus de Polonia, ArchiEpiscopi & Episcopi vos in Curia Romana super prænotatis terris deferant minùs justè, de vobis graviter conquerendo: & quòd specialiter nominatus

 " Casi-

„ Casimirus super terris vobis & Ordini vestro ab
„ Imperatoribus & Regibus, prædecessoribus
„ nostris, collatis & donatis, & auctoritate Sum-
„ morum Pontificum ac Imperatorum & Regum
„ legitimè confirmatis, & per tempora longiora
„ per vos possessis pacificè, trahit in causam, &
„ tam in judicio spirituali quàm extra, vobis infe-
„ rat plurimas quæstiones.

„ 3. Verùm cum Ordo vester sit à dictis Prin-
„ cipibus, Imperatoribus & Regibus Romanorum,
„ prædecessoribus nostris, fundatus, institutus &
„ dotatus pro defensione Imperii & Fidei Chri-
„ stianæ, & Nos & Imperium principaliter quæ-
„ stiones vobis motæ per prædictum Casimirum
„ super terris Ordinis vestri, ac vos tanquam mem-
„ bra nostra & Imperii tangere videantur, vos at-
„ tentè requirimus & monemus nostræ gratiæ sub
„ obtentu, & nihilominùs sub pœna amissionis &
„ privationis omnium terrarum, jurium, privile-
„ giorum, gratiarum & libertatum, quæ à nobis
„ & prædecessoribus nostris Imperatoribus & Re-
„ gibus, vobis & Ordini vestro concessæ sunt ha-
„ ctenus & indultæ, ne terras, possessiones ac ju-
„ risdictiones sic vobis donatas & concessas, ad
„ cujuspiam præceptum ac mandatum extra po-
„ testatem vestram aliqualiter permittatis, aut ad
„ citationem cujuspiam Judicis Ecclesiastici vel
„ Secularis super ipsis de vobis conquerentibus &
„ causam moventibus, seu movere volentibus,
„ compareatis sine nostro consensu, aut juri ali-
„ qualiter pareatis, cum principaliter defensio
earun-

„ earundem terrarum nobis competere digno-
„ scatur.

„ 4. Vos etiam exhortantes, quatenus mentes
„ vestras in virtute constantiæ roboretis, terras
„ præmissas, in quarum acquisitione vos multis
„ periculis submisistis, & sanguinem proprium
„ effudistis, sub Majestatis nostræ defensionis cly-
„ peo conservetis, nec quorumvis timore, aut
„ sinistrarum fictione relationum puritas vestræ
„ conscientiæ terreatur. Nam prompta & aper-
„ ta est præpotensque manus nostra contra quos-
„ libet terras vestras invadentes vel aliqualiter u-
„ surpantes. Ordinem enim vestrum, in quo
„ virtutum Domino militatis, quam in Domo Do-
„ mini prælucere conspicimus, & universali fidei
„ Christinæ contra infideles salubriter providere
„ tenerrimè diligimus, & corde tenemus, circa
„ ipsum & salubrem ejus statum sollicitudinis stu-
„ dio continuè vigilando.

„ Datum Franckefurt, vigesima secunda die
„ mensis Julii, Anno Domini millesimo tricen-
„ tesimo trigesimo octavo; Regni nostri anno
„ vigesimo quarto, Imperii vero undecimo.

§. XI.

Nihil tamen obtinere potuit Ludovicus IV.

Inefficax fuit tabularum Imperialium fulmen, Cruciferis iniquæ jam causæ sufficienter convictis atque ad pacem ineundam Polonorum potentiâ compulsis. Actum id A. 1341. ut vult Waisselius p. 118. Quanquam Cromerus in A. 1343. rem gestam collocet *L. 12. p. 303.* Cujus fidem sequi videtur Venator *L. 1. c. 8. p. 99.* Sed con-

Rupta iterũ à Cruciferis Lithvaniam sine causa invadentibus pax.

constansne ac perpetua ab hominibus alieni cupidis exspectanda pax & securitas? Non quievêre Cruciferi, ipsi fortunæ suæ asperioris fabri. Nam cum non necessariis imò iniquis bellis Lithvaniam, à Vladislao Jagellone Poloniæ Regno unitam & sempiterno jure adjunctam, invaderent ense ferroque grassantes; Rex novus injuriâ istâ lacessitus vim hostium, cum pactis variis (quorum præcipuum literarum monumentis conceptum videre licet in Januschovio L. Statuta Prawa y ConstitucieKoronne. *L.7. part.3. tit.1. p.838.*) amoliri non potuisset, collecto exercitu fortiter sustinuit, bonâ conscientiâ fretus, Deumque habens faventem. Secuta mox ruptæ pacis Vindicta Divina. Commissum enim cruentum prælium ad Tannebergam, in quo 50000. Crucifer. militum cum Duce Magistro Ordinis Theutonici, Ulrico von Jungingen, cæsa traduntur â Dlugosso in Tom. 3. Chron. sui MSTi. ad A. 1410 a p. 52. Martino Bielski L. 2. Chron. Pol. ad A. 1410. Cromero *L. 16. p. 388.* Neugebauero *L. 5. hist. Pol. pag. 152.* Et licet de numero cæsorum dubitet Schützius *L. 3. fol. 102.* eumque ad 40000. restringant Waisselius *fol. 134.* Hennenberger in Vita XXIII. Magistri Ordinis Theutonici; priori tamen relationi subscribere non dubitavit Eichstet in MSTo. Chron. ad A. 1413. Et ipsi Scriptores exteri pene σύγχρονοι ÆneasSylvius *in Europâ c. 29. p. 367.* atq; Cranzius, causam belli iniquam (quam plerique alias recentiorum silentio dissimulant,) & infelicissimum eventum disertis ac prolixis verbis

Felix contra Cruciferos Jagello, sed victoria abusus: inde bona causa ad Cruciferos transiit.

bis profitentur *L. 10. Vandal. c. 16. p. 234.* & seqq. Stetit itaque penes Regem victoria, quâ utinam prudenter uti didicisset Victor ac penè Dominus totius Prussiæ. Cruciferi enim gravissimo hoc prælio ad extremum fere deleti Regem supplices adeunt, culpam fatentur, illique permittunt mulctæ arbitrium. Regi Victoriâ elato clausæ erant aures, obstrepente fastu, quo factum ut bona causa à Polonis ad Germanos transierit. *At ego,* (quæ Magistri Ordinis Theutonici Plavenii ad Polonos oratio erat) *æquissimas vobis & ultro expetendas conditiones attulisse me arbitrabar: sed quando aliter vobis & Regi vestro videtur, Marieburgum cæterasque munitiones, quas adhuc retinemus Cruciferi, priusquam ego dedam, extrema quæque experior: & respiciet jam nos, uti spero, deinceps magis propitius Deus, quandoquidem iram & offensionem ejus, ruptione fœderis & superbiâ nostrâ contractam, partim suppliciis nostris & mortibus eorum qui in hoc bello ceciderunt, partim tam demissâ & supplici hac petitione nostrâ satis, ut opinor, expiavimus. Et cum his dictis, multa Deum rerum omnium arbitrum & inspectorem testatus, in arcem se recepit.* Neque irritæ forrassis eæ Plavenii preces DEO acciderunt. Nam ex tempore minus prosperè nostris res esse, retròque relabi cœpere: fatente id ipso Cromero *L. 17. p. 393.* ex quo præsens Exemplum in Quæst. dictæ illustrationem citat Grotius *in not. suis in fine ad L. 2. c. 1.* Dubio posthæc Marte pugnatum, continuatumque bellum, induciis licet quibusdam suspensum, usque

Oratio Magistri Ordinis ad Polonos.

Pax tandem coaluit, qua subditorũ juribus cavitũ.

que ad A. 1436, quo inter Regem Wladislaum Jagellonidem & Magistrum Cruciferorum Paulum de Rusdorff pax perpetua coaluit. *Libertati tunc ac juribus subditorum variis, aliisque Legibus fundamentalibus servandis maximè prospectum.* Et ut firmius pacto inesset vinculum, fide & jurejurando Regis & Magistri cautum est, ne forte sub prætextu Pontificiæ vel Imperatoriæ Potestatis ab eo discedere liceret: qui verus est verborum pacti sensus in Januschovio dicto *l. p. 648. in medio*; accedente speciali insuper Magistri Prussiæ juratâ promissione his verbis conceptâ: *Promittentes: Quodsi nos vel Successores nostri, stante hujusmodi pace perpetua, supradicto Domino Regi, aut Regno Poloniæ vellemus aut conaremur hujusmodi gverras, aut bella movere, non debent nobis subditi nostri consentire, nec in hoc obedire aut parere: quinimo erunt ab omnibus nostris homagiis, juramentis & subjectionibus liberi & soluti: donec in hoc casu nos & successores nostri ad observationem pacis perpetuæ revertemur.* vid. Januschovium *dicto l. p. 863.* Prilusium. *cap. 3. de Terris & Ducatu Pruss. à p. 188. ad p. 197.* Dlugossum *Tom. III. ad dict. A. p. 1299.* & seq. Cromerum *L. 21. p. 460.* Schützium *L. 3. Chron. Pruss. fol. 127.* Matth. Strykowski Ossostevicius *L. 13. Hist. Lithvan. c. 4. & 8.* Bornbach. *in Chron. MSTo ad A. 1436.* Paulò quidem obscuriùs à Waisselio *in Chron. suo p. 143.* & Hennebergero *in Vita Pauli Rusdorff.* ob defectum fortassis monumentorum publicorum, quæ hactenus

Juramentũ Magistri Ordinis.

ctenus tradita sunt, recensentur: meliori ideoque jure autoritatem priorum agnoscit, exterorum plerorumque nomine, D. Venator *part. 2. c. 4. & 5.* Conf. Münster. in Cosmogr. *L. 3. p. 780.* Sed quam exigui temporis decursu terminata Pax illa æterna! Frustratum mox illius diu fruendæ desiderium, Germanis culpam in Polonos, Polonis in Germanos derivantibus. Per quos E. jam steterit, quo minus pax illa decretoria per longam ætatem viguerit, proximè exponendum.

Sed Pax illa æterna iterũ frustrata culpâ Cruciferorum.

§. XII.

Prima discordiæ semina sparserat Sigismundus I. Imperator, qui ab omni compositione alienus id unum moliebatur, ut Cruciferos à Polonis sociis abstraheret. Ejus rei documentum in Literis ad Ordinem missis insigne prostat apud Bornbach. *in Chron. MSTo ad A. 1434.* deductum etiam ab Autore *Annalium Prussorum MSt. P. 1. L. 4. c. 1. c. 17. p. 558. ad A. 1434. & c. 21. p. 567. ad A. 1438.* aliisque *impressis Annalibus Prussiæ.* Conf. Cureus Annal. Silesiæ p. 123. Sed ætate, laboribus, morboque confectus obierat A. 1437. successore Imperii atque odii in Polonos relicto Alberto. Iisdem Imperator hic artibus Cruciferos à fœdere, arctissimo licet, avellere atque in suas attrahere partes summo contendebat studio. Externo justi colore ornatæ producebantur causæ, gratæ plerisque Cruciferorum, præcipue illis, quibus primâ adolescentiâ calescebat adhuc sangvis: Initam nempe pacem, metu adversæ Potentiæ extortam, sine consensu Legitimorum

Sigismundus I. & Albertus dissvadent pacis negotium.

Causæ rumpendæ pacis.

Dominorum (hos enim se esse Imperatores jactitabant) acceptam, inq; præjudicium Sedis Pontificiæ ac Jurium Imperii conclusam, periculosam porrò atque Ecclesiæ ipsi noxiam cum Casimiro Bohemiæ Regni Competitore, hæreseosque simul Hussiticæ fautore amicitiam initam: Addebatur tandem spes promti auxilii, ubi relictis (contra fas fidemque) sociis ad Imperatorem defecissent. Quæ quidem in summam contracta fusiùs legas in dictis Annalibus *Pruss. c. 21. ad A. 1434. & in Chron. Maximiliano fol. 497.* & ex parte in Dubravio *L. 18. hist. Bohem.* Æneâ Sylvio *Hist. Bohem. c. 55.* Nauclero *Gener. 48.* Prævaluit tamen tunc Magistri Ordinis Conradi ab Erlichshausen cautior senectus, fide in Regem & autoritate apud suos. Mansit quippe constans inter socios pax & amicitia, conviviis & aliis caritatis signis corroborata: apud Waissel. *in Chron. Pruss. fol. 170.* Henneberg. *in Vit. dict. Mag. Ordin.* Sed ne servatam Polonis à Magistro fidem cum injuriâ Imperii conjunctam credamus, ipsum in Rem suam Procuratorem optimum audiamus, enixæ ast iniquæ simul voluntati Alberti sese opponentem: Amicum sc. se venerari Cœsarem, sed magis amicam sibi esse fœderis servandi fidem; confirmatam Sacramento pacem nec metu, nec utilitatis præsentis illecebrâ rumpi posse, metuere alias, ne eo ipso perpetuæ tranquillitatis in posterum rescindantur munimenta: malle ergo diu desideratæ pacis dulcedine frui, nec spe extendendorum finium se inde dimoveri posse: felicem &

Quæ tamen refutantur à Conrado ab Ehrlichshausen.

& beatam æstimari Rempublicam, quæ justitiam pro finibus haberet. Habentur rationes istæ aliæque in *d. Chronico Maximiliano* collectæ; Magnum certè illarum pondus, si ab Alberto sententiæ suæ justo addictiore probè expensum fuisset.

§. XIII.

Instat apud Successores Conradi Albertus.

IteratisAlberti literis mutabiles tandem facti, post obitum Conradi Magistri, successores Ejusdem, ab instituto ac moribus Antecessoris longè alieni. Recruduit mox vetus illa ac insita Ordini potentiæ cupido, qui cum hostes, quos vincerent deessent, impotenti dominatione, ipsis Prussis intolerabilis esse cœpit. Exhaustum ambitione ac luxu ærarium per scelera suppleri cœptum. Indicta Genti liberæ tributa insolita, quibus se contemni atque immunitatem promissam infringi sentiens, per supplices primùm literas deprecari, tum Imperatoris Friderici III. opem implorare, atque ultimò tandem necessitatis præsidio minari. Cruciferi nec precibus, nec minis territi, licentiùs porro in subditorum vitam, bona, conjugia, libertatemque ipsam omni pretio majorem: Addebat vero spiritus Imperatoris & Pontificis favor, promtus in amplectendas tam iniquæ causæ partes. In tam communi E. calamitate, suæ tandem fortunæ consulendum rati Prussi, fœdere inter se facto, in Regis Poloniæ Casimiri jus sponte concedunt, eique tanquam vero Domino & Hæredi omnem Prussiæ terram subjiciunt. Inde fomenta belli, quod in contumacem, nullâ de se emendationis spe factâ,

Hostilianimo Prussiam ipsam vastant; contra fas fidemque.

Casimiro IV. E. se subjiciunt Prussi.

Inde bellum per XIII. annos gestum. factâ, Ordinem Teutonicum, per integros XIII. annos continuatum, magnis utrinque sumptibus, majori tamen Polonorum lucro, nullo Germanorum. Pactis enim finitum belli negotium, quibus Casimiro Jagellonidi IV. Pars Prussiæ armis jam vindicata cessit, Pars residua Cruciferis sub arctissimo fidei ac clientelæ vinculo concessa fuit.

Finitū pace, qua Prussiæ magna Pars Casimiro cessit.

Testimonia Actorū publicorū, Autorum domesticorum.

Testantur id Acta publica apud Januſczovium *P. 3. Tit. 1. p. 8. 63.* Prilusium *Cap. 3. Art. 1, à p. 197. a. 219.* inter *Privileg. Pruss. Ducal. f. 20.* item Scriptores Annal. Polon. & Pruss. Cromerus *L. 26.* Sarnicius *Annal. Pol. L. 7. pag. 367.* Schüz. *L. 7. Chron, Pruss.* Waissel. *in Chron. Pruss. a p. 143. ad 244.* Henneb. *in Vita Ludov.* **von Ehrlichshausen.** Dionysius Runaw *in tractatu speciali:* **Einfältige Beschreibung des grossen 13. Jährigen Krieges.** *MSt: Annal. Pruss. P. 1. L. VI.* Bornbach. *in MSto juxta seriem Annorum.* Et ne fides Annalibus Patriis desit, operæ pretium me facturum arbitror, si Crancium Scriptorem Exterum, recenti adhuc tum rei gestæ memoriâ instructum, sine odio sine gratiâ de præsenti materiâ differentem hic exhibeam. *Creverant deinde animi Dominorum in subditos, quod ubiq; causa eorum justificaretur, Immiscuere se (ut fieri solet) juribus injuriæ: crebrescunt odia in partibus: Orant deinde Civitates cum militaribus, ut in antiquam quietem res perveniat: abstineant injuriis, & moderato examine justitiam foveant in subjectos. Semel exasperati Domini Fratres, acriùs atq; acriùs in bellum exardescunt: quotidie minæ, quotidie injuriæ.*

Crancii Scriptoris exteri testimoniū.

riæ. Miserunt urbium & militarium viros religiosos abbates: qui pedibus provoluti Magistri & Commendatorum, gratiam & quietem postularunt, & per viscera Misericordiæ DEI, magnum (quod impendere videbatur) malum averti obsecrabant. Stetit sententia, nonnisi literis exhibitis, & aliis (quas indixere) conditionibus impletis, pacis esse ullam spem. Jam secretò invicem militares cum urbibus condixêre. Ubi omnia, quæ ad petendam pacem pertinerent, frustra fuere, nihil tale formidantibus fratribus (quum non tam paratam ad bellum partem alteram arbitrarentur) uno pariter die tot arces cum oppidis amisere: quæ magno impetu invasa à militaribus & urbicis, in potestatem accipiuntur. Illico exardescit cruentissimum bellum in multos annos protelatum: infinita cædes hominum, vastationes agrorum, eversiones arcium, concremationes oppidorum, ac mala sine fine, quæ bellum vehit. Evocavere fratres multos ad auxilia Principes, venêre militares & stipendiarii sine numero. Cœpit res fieri gravior, quàm ut à militaribus & urbibus Prussiæ posset sustineri. Invocavere Casimirum Regem Poloniæ, illiq; se subjecere ad defensionem, ut ab illo jam legitimo domino protegerentur. L. 12. Vandaliæ c. 17. Alienus quidem â Polonorum causâ Cureus, dissimulare tamen nequit Pontificis M. animum plus æquo in Cruciferorum partes propensiorem. *Ann. Siles. p. 169.* Et ipse *Æneas Sylvius* odio in Polonos veteri & affectu in Fridericum III. in cujus aulâ per tempus aliquod degerat, clarus, fœderis â subditis Prussis initi causam tunc allegatam

Curei.

Æneæ Sylvii.

Pp 3 fuisse

fuisse, *jugum grave*, fatetur in *Europâ suâ d. l. p. 367.* quem sequitur more suo Münsterus *L. 3. pag. 781.*

§. XIV.

Hæc itaque illa tam barbara in suos sæviendi licentia, tamque manifestæ subditis illatæ injuriæ, & alia hostilis certè, qui in totius populi exitium ferebatur, animi luculenta indicia origo & causa condicta fuêre amissi à Cruciferis in Borussiam juris. Consistere enim non possunt Voluntas imperandi & voluntas perdendi, atque ita qui se hostem totius populi profitetur, is eo ipso abdicat Regnum vel Principatum. Grot. *L. 1. c. 4. §. 11. & L. 2. c. 25. §. 8.* Accedente simul extremâ necessitate, per quam jus pristinum libertatis reviviscere, & statum ad merum jus Naturæ reduci, non sine fundamento concludit Grot. *L. 2. c. 2. §. 6. n. 2. & c. 6. §. 5.* Et *in communi calamitate suam quemque habere fortunam* observatum â Curtio. Viderat verò Populus Tyrannicæ illi crudelitati ac furori sese exponi, viderant Civitates Prussicæ se ferro & flammis vastari, conjuges & liberos suos fortunæ ludibrio & Tyrannorum libidini objici, inque omnia vitæ pericula omnesque miserias & molestias à Cruciferis deduci. Num E. illis, quod omni animantium generi â natura est tributum, denegari debet, ut scilicet vim extremam vi repellant, seque ab injuriis intolerabilibus tueantur? *Nec* enim *Prussi mancipiorum ritu obstricti erant Cruciferis, sed plerique vel ipsi vel eorum majores propositâ conditione magnæ libertatis & multarum immunitatum in vacuas terras ex Germaniâ acciti â Cruciferis: quas proinde tamen ex pacto quasi saltim provincialibus illis Coloniis præstare tenebantur, nisi irritum vellent fidelitatis sacramentum; disserente ita* Conringio *C. 28. p. 591.* Imo non Coloniis tantùm, sed & universis subditis solenni inter Regem & Cruciferos inito fœdere prospectum fuisse, supra ostendimus. Non immeriti E. propriâ quasi sententiâ pœnam non servati promissi sensere Germani, *solutis nempe ab omni obsequii vinculo subditis.* Nam qui legibus ita semet subjicit, procul dubio aliis, quò adversus se experiri possint, jus quoddam communicat. ut eruditè deduxit D. Falkius *in diss. Quid subditis pro defendendis legibus fundamentalibus liceat. §. 17.* At si potuerunt fidelitatis sacramentum jure Magistro renunciare, licuit illis etiam alteri se subjicere. Nam is, qui est sui juris, potest utique in fidem alterius jure concedere. Quidni itaque & illis licuerit idem, si sanè fas ipsis fuit in plenam libertatem rejectis antiquis Dominis se vindicare: quæ iterum Conringii sententia est. *dict. loc.* Sed ne remedia subditorum morbis, cum periculo majori summarum Potestatum totiusque societatis humanæ, conjuncta quæsivisse videamur; satis reverentiæ Magistratui suo datum â Prussis, qui eundem per supplices primùm libellos, eosque iteratos, per constitutum postea ex primoribus conci-

Cruciferi cur rectè abdicati jure in Prussiâ? & Casimiro eadem optimo jure cesserit?

conciliû, de mitioribus ineundis viis monebant. Sed obfirmata erat Ordinis malitia, ut animus emolliri & ad consilia mitiora traduci non potuerit; quo ipso ad duriora patuit progressus ipso jure N. Gentiumque licitus. Conferri hîc potest consimilis Clausulæ Commissoriæ in S. R. Polon. juramentis interpretatio, deducta â Theod. Zawacki *P. 1. Const. fol. 16.* Sublatum porro impedimentum personale, quod aliàs resistere subditum prohibet, Casimiro Jagellonide in auxilium à Prussis contra intolerandam Ordinis sævitiam vocato. Is enim & cognationis naturalis instinctu motus, & officii Regii memor Davidis exemplum imitatus est, *ad quem congregati sunt, quicunque erant in angustiis, & cuicunque erat Creditor, quicunque item erat amarus animo; fuitque eis in* Principem: *I. Samuel. XXII. 2.* Eodemque titulo, *quo Constantinus M. adversus Maxentium exercitum duxit, ut Romanis libertatem, quam â Majoribus acceperant, interventu suo restitueret,* apud Eusebium *in Vita Constantini M. L. 1. c. 37.* Regi Optimo facultas data bellum gerendi in Teutonicos, quod hi atrocissimis injuriis & apertâ Tyrannide subditos oppressissent, cujus argumenti robur â Grotio deductum vid. *L. 2. c. 25. §. 7. & 8.* Vindicati ergo optimo jure in libertatem Prussi, in compensationem operæ â Casimiro Præstitæ, se suamque terram, optimo quoq; jure, Eidem submittunt. Videas hic Exemplum divinæ justitiæ, quæ Reges nostros jure suo per longa quidem temporum intervalla suspenso in per-

perpetuum defraudari passa non est. Venit jam tempus, *quo* (ut Petri Martyris de exemplo Davidis judicio utar ex Commentario Ejus ad d. l. Sam.) *quo*, inquam, *Deus noluit consilium longiùs tegere, nec expectare longiora fata, cum Teutonici jam digni essent, qui priore quoque tempore abjicerentur.* Excitatus itaque Casimirus, qui longè expectatum â divina providentiâ casum in sapientiam vertit.

§. XV.

A Johanne Friderico Saxoniæ & Alberto Brand. negatum Clientelæ officium: inde belli causa: & pax, qua divisio Prussiæ facta ad Posteros transmissa.

Editum Regibus â Successoribus Ordinis Teutonici ex formulâ per tempus aliquod clientelæ obsequium, testibus Schüzio *L. 6.* Waisselio *à fol. 240. ad 260.* Hennenbergero *in Vitis Henri* **von Plauen** / *Henrici* **von Richtenberg** / *Martini* **von Wetzhausen** / *Johannis* **von Treffen**: Negatum tandem â Johanne Friderico Saxone, Viro prosapia, utinam & fide in Regem insigni. Monitum â Regibus, scribunt, ut Majorum more debitum illis profiteretur officium, neve destinatò publicam turbaret securitatem, ipse belli & exitii Ordinis Autor futurus. Mansit propositi pertinax, nec se inde dimoveri passus est; Cujus quidem vestigiis insistens & exterorum auxiliis fretus Albertus bellum Polonis intulit, sed frustratus iisdem atque adversæ potentiæ fractus pondere, convictus simul debiti Regibus obsequii, pacem â Sigismundo I. impetrat ac obtinet, his acceptis præcipue legibus. *Ut Ordo Cruciferorum in Prussia penitus extingveretur: Albertus Prussiæ portionem, quam nunc Ducalem*

lem vulgo vocant, titulo Ducis obtineret: sed Regio Imperio simul cum Provinciâ subesset, eosdem cum Polonia hostes amicosq; deinceps haberet: ipse Dux primum locum in Senatu Regio teneret. Habentur hæc monumenta publica in Januschovio *L. 7. Constit. Reg. Pol. P. 3. tit. 1. p. 913.* Prilusio *c. 3. art. 2. p. 224.* Privilegiis Prussiæ Ducal. *f. 32.* Conf. Schüz. *l. X. Chron. Pruss. fol. 494.* seqv. Neugebaur *l. 7. Hist. Polon. p. 507.* seqv. Albert. Wijuk Kajalowicz *P. 11. Hist. Lithvan. l. 7. p. 382.* quibus jungendi Boterus *de Præcip. Rebusp. c. 5. p 27.* Thuanus *L. 1.* aliiq;. Possessæ E. ab Augustissimis Regibus nostris altera Prussiæ Pars, cui Regalis nomen, supremo jure, altera, quæ Ducalis dicitur, verò â Serenissimis Electoribus Brandenburgibus ex lege functionis & obsequii clientelaris usq; ad Annum 1657. quo Fridericus Wilhelmus â Johanne Casimiro Welaviensibus Pactis Provinciam, quam antea feudi titulo tenebat, jure proprietatis possidendam accepit, iisdem penè legibus jam Anno 1691. ad hodiernum Serenissim. Electorem Fridericum III. transmissam.

§. XVI.

Argumenta objectionis, injustè Prussiam Cruciferis ereptam.

Amara atque odiosa videtur adversæ causæ Patronis novæ Provinciæ tam nobilis possessio, per injuriam quasi Cruciferis erepta, obsequio Sedis Romanæ *nefariè & sacrilegè* subtracta, ab Imperii Romani corpore contra fas fidemque avulsa, & â Regibus Poloniæ injusto titulo acquisita. Omnem inde malorum, quibus Poloniam ab illâ ætate pressam vidit orbis, ortam segetem; avulsas

avulsas mox ab illâ ditiones Bohemicam & Hungaricam, implicitum perpetuis discordiarum atque bellorum incendiis Regnum, & quæ alia ultionis divinæ producuntur documenta apud Raynaldum *Annal. Eccles. ad A. 1426. n. 121.* & Venatorem *L. 3. c. 2. p. 238.* Propensi certè plùs æquo in Sedem Romanam Imperiumque animi sunt isthæc indicia; ac verè præposteræ de abditis Dei judiciis, quæ venerari magis, quâm anxiè scrutari præstat, hominum conjecturæ. *Sæpe enim ex occultis causis, Dei ultio in Reges est, sæpe pro Populo Reges, pro Regibus sæpe plectuntur populi, ut visum divinæ providentiæ, cui subjacent Reges & populi, quamque hominum securitas & ultio æquè movent. Gram. L. 4 Hist. Gall. pag. 258.* Justæ verò in Cruciferos fuere armorum causæ, debiti Regibus præliorum felices exitus, ita ut jure illis obtigerit ampla illa belli fortuna. Nullam Pontificibus M. in istam ditionem fuisse jurisdictionem, superiùs evictum. Nec est quod autoritati negotio belli Polono-Prussici ab illis interpositæ tantum robur inesse credamus, ut decretoriæ quasi eorum non, ut Judicum sed arbitrorum, sententiæ parere necesse habuerint Reges nostri. Testantur quippe publica monumenta, mutabilem fuisse cum fortunâ partium Sedis Romanæ animum, jam Cruciferorum, jam Polonorum partibus addictiorem, ut videre est ex literis Leonis X. ad Sigismundum I. apud Prilusium *Cap. 3. art. 2. p. 221.* & literis ad Albertum Magistrum Ordinis Teutonici Romæ A. 1513. scriptis

Refutantur eadem (1.) non provocandum ad divinam ultionem. (2) nulla Pontifici M. in has oras jurisdictio temporalis. (3) Pontificiu arbitrio Prussia Poloniæ deletur.

ſcriptis apud Schüzium *L. 10. p. 444-6.* quibus debitum Regibus in Borusſiam jus atque poteſtatem agnoſcit ac pronunciat. *Aulæ quippe Papali illud ingenium eſſe*, notavit jam olim Cardinalis Armeniacus, *ut exquiſitâ ſeveritate, cum occaſio ſe offert & impunè licet, in exteros utatur, eamque ſeveritatem eousque valere, quousque vel infirmitate, vel religionis metu tolleretur: Et ſi quis Princeps exiſtat, qui neutro attineatur, cautè ſummâ disſimulatione ab ea ſeveritate diſcedit: apud* Thuanum. *L. 1. in Vita ejus.* Non ſine injuriâ porrò Reges noſtri *ſacrilegii* criminis poſtulati; quaſi rem ſacram in profanos convertiſſent uſus.

(4) *nec Poloniæ Reges ſacrilegi dicendi.*

Taceo *Seculariſationis* bonorum Eccleſiaſticorum praxin, inter Chriſtianos Principes receptam, & inſtrumentis publicis corroboratam; cujus rei evidens documentũ proſtat *in art. 5. Inſtr. Pac. Oſnabr.* §. 1. fuſiùs deductum à Mauritio in *diſſ. Jur. Publ. de ſeculariſatione*, Conringio *Tract. Conſultat. de Pac. perpetua*, qui tamen tecto nomine *Irenei Eubuli Theologi Auſtriaci* eundem edidiſſe creditur, Johanne Hornbeck in *Examine Bullæ Papalis*, Ludovico de Monte-ſperato, in *Vindiciis pacificationis Oſnaburgenſis*, Burgoldenſi *ad inſtrumentum pacis P. 2. Diſcurſ. 9.* Majora certè Regum noſtrorum, Victorum licet, Pietatis in Deum & reverentiæ in Eccleſiam ſuperſunt monumenta. Intacta enim manſêre Eccleſiaſtici ſtatus jura, relictus ſacris ædibus ſplendor, non imminuti ſed aucti in pios ritus & officia divina reditus; & ſi quæ forte bona Eccleſiaſtica in Collegia, Scholas,

(5) *nec Res Pruſſiæ ſacræ in profanum uſum converſæ.*

Academias, Gymnaſia, ſtipendia, collata; non jam ab uſu ſacro in humanum tranſlata dixeris; ſed *ſacri tantum Uſus variationem*, nec jure Canonico improbatam, agnoſcas oportet.

§. XVII.

(6.) *Nunquam Pruſſia Imperii Romani pars fuit, nec ab eo avulſa dicenda.*

Ab Imperii verò corpore avulſam Pruſſiam, ut impugnemus, nullâ neceſſitate impellimur; cum & id jam evictum, nunquam Imperii partem conſtituiſſe Provinciam iſtam, Sarmatici potius Regni à primis initiis dicendam portionem. Sed avulſam hîc admittamus; jure ne vero an ſaltem de facto ad Polonos tranſlata & longisſimo tempore uſucapta ſit, in eo litem nobis movere videntur juris Publici Doctores: Nullum nempe Cruciferis ad extremam quoque neceſſitatem adactis jus fuiſſe, non adhibito neque expectato Imperatorum conſenſu, in Regum Poloniæ fidem concedendi. Zoanetta de *Rom. Imp. n. 144.* Rich. Dieter. *de Summ. Imp. Poteſt. Concl. 201.* Sleidan. *L. 20. hiſt. & alii ſuperiùs citati autores.* Aſt non videtur, vel Cæſarem vel Imperii Ordines, Imperii quidem causâ, ullo aliquo auxilio juviſſe cauſam Cruciferorum quintodecimo ſeculo, nec quando primum illi in fidem Polonicam conceſſerunt, Imperii ergò, actioni iſti interceſſiſſe. Non ſanè in monumentis hiſtoricis fide dignis tale quidquam memoratur. Eſt autem talis negligentia, & tale ſilentium indicio haud obſcuro factæ derelictionis: ceu jam ſupra diſputavimus. Tum nec Albertus Brandenburgicus

Obj.

Reſp.

(7) *Si pars fuit, derelictionis jure amissa.* cus seculo decimo sexto quidquam opis ab Imperio potuit sperare. Itaque aut planè pereundum Ordini tum fuit per Prussiam: quousque tamen ille Imperio non fuit usquàm obligatus: aut verò conditiones à Polono propositæ fuerunt Ordini illi necessariò ineundæ. Nec verò tam hoc vitio datum fuit Alberto & reliquis Cruciferis, quod ille in fidem iterum Poloni rediisset more multorum decessorum; quàm quod passus est bona Ordinis in hæreditariam possessionem sibi tradi: & hoc maximè nomine Cameræ Spirensis judicio Albertus anno 1531. proscriptus est. Quæ Conringii Scriptoris Germani est sententia, *pag. 591. & 592.* Conf. Grot. *L. 2. c. 6.* §. *5.* & Bœcler. *in not. ad d. l. p. 214.* Et hujus quidem necessitatis vim justam agnoscit posterior, ast præscriptioni legitimæ titulum, illud Naturæ Gentiumque jure debitum Regibus nostris robur, infringere summis viribus conatur. Quam *Objectiones à Bœclero factæ.* non habuerit, *inquit*, Germania animum dimittendi hujus membri Imperii, declarant comitia Augustana anni 1500. in quorum *Recessu (art. 40.) primo* animadvertitur, tum demum Polonos, Protectionis titulo, (is enim color valdè lenibus conditionibus ab initio est adornatus) ad ulteriora uti voluisse, & *jus jurandum exigere tentasse, quod Imperii Germanici juribus præjudicaret: deinde* testationem disertis verbis factam esse, *Ordinem illum pro Germanicâ natione institutum esse, & ad neminem alium, quàm ad S. Imperium Rom. pertinere. Tertiò*, viam & rationem juris Gentium obser-

observatam esse, allegatâ *admonitione* ad Regem Poloniæ, & oblatâ *judicii* copiâ. Anno 1507. in Comitiis Constantiensibus Fridericus Prussiæ Magister per legatos exposuit, quo in periculo provincia Imperii versaretur. Igitur 1510. Posnaniæ legati Cæsaris Maximiliani & Imperii comparuerunt, cum Poloniæ & Hungariæ legatis & Magistris Prussiæ ac Teutonici Ordinis: Ibi petitum est, ut Prussia tota, & Pomeraniæ pars, à Casimiro Poloniæ Rege ante 50 annos ablata, Ordini restitueretur, & juramentum fidelitatis, & militiæ onera remitterentur. Polonis contra causantibus, se Prussiam partim sponte deditam, partim armis occupatam ac defensam, jure optimo tenere, & jus jurandum fidelitatis & subjectionis ex fœdere (1466. inito) exigere. Et tum quidem re infectâ discessum est. Post Fridericum anno 1511. electus Teutonici Ordinis Magister Albertus Brandenburgicus, fidem juratam Polono postulanti dare recusavit, Polonorumque armis per diversa terrarum distractis, Prussiæ suæ per sex annos quieta possessione gavisus est. Manavit sane fama, Maximilianum Cæsarem in Regio illo concilio A. 1515. Sigismundo Poloniæ Regi promisisse, se Teutonici Ordinis Magistrum deserturum, si fidem Polono jurare nollet. Sed etiamsi talis conventio privatim facta esset, juri totius Imperii nihil decederet. Unde Poloni ipsi apud *Sleidanum*, eam conventionem ad Domum Austriacam, ex peculiaribus causis, non ad Imperium referunt. Et Albertus con-

Chytræ chron. lib. 6. p. 169.

Cromer. l. 26. Chytr. p. 176.

Id. p. 185. Jod. Lud. Dec. Tom. 2. rer. Polon. p. 329.

L. 20. pr.

constanter, mandata Imperii & Pontificis asseveravit, ne fidem juraret Polonis; Germanicæque Nobilitatis, & multorum Principum auxiliis promisfis nitebatur, usque ad tempus illati à Polonis belli anno 1520. Et de Maximiliani alia voluntate posteà 1548. constare dixit Magister Pr. Interea Induciis interpositis, rem trahi neque per arbitros componi, Polonis conducibile visum est. Ivit tamen ipse Albertus, & in Comitiis Noribergensibus (ubi & inter Principes Imperii locum suum tenuisse dicitur apud *Sleidanum*) causam Ordinis, Imperii Ordinibus commendavit. Et continebatur Capitulatione Imperatoris Caroli V. ut avulsa revocarentur ad Imperium. Sed absentia Cæsaris, bella intestina & seditiones Germaniæ non permiserunt, ut aliter, quam legationibus, apud Polonos, de induciis prorogandis, quanquàm frustra, ageretur. Ita Albertus tandem, imparem se cernens, Prussiam à Polono Feudi nomine accepit, & Dux Prussiæ factus est ex Magistro. Acta ipsa & formulas *Prilusius* exhibet in *rebus Polonicis*. Cum hæc A. 1525. acta essent, Ordo reclamavit, & Waltherum Cronbergium elegit Magistrum, cujus interpellatione Cæsar Carolus commotus, transactionem illam, velut in detrimentum Imperii factam rescidit, & nullius esse momenti d. 14. Novembris 1530. pronunciavit. Cum autem Albertus in proposito maneret, proscriptus fuit à Camerâ, solicitante Walthero Cronbergo, qui adversus legatum Poloniæ iterum subinde in Comitiis

Chytr. pag. 111.

Art. 9.

Sleidan. l. 5. fin.

Chytr. l. 11. tom. 1. pag. 224. &c.

Id. L. 8. anno 1532. adde Franc. Mennen. de-lic. equ. ord.

Ratisb. Jus Ordinis & Imperii defendit. Cumque Polonus crebris interpellationibus nihil impetraret de abolendâ proscriptione, in Comitiis Augustanis 1548, iterum inter Polonos & Wolffgangum Magistrum Ordinis disceptata Quæstio est, & delecti, qui cognoscerent, censuerunt: sententiam in Albertum pronunciatam esse tuendam: sed tamen, quoniam executionis permagnam esse difficultatem videbant, ad Cæsarem omnia rejecerunt. Exstat apud *Sleidanum* tota ab uno repetita controversia. Et post hæc licet maximis impedimentis intervenientibus, non sequentes tantum Cæsares, in hanc diem recuperanda, quæ imperio subtracta erant, suam operam obligarunt, sed Comitalibus eâ de re deliberationibus actum est. Vid. *Recess. August. 1566. artic. 125. & 126. tum Spirens. 1570. art. 105. 106. 107. Augustan. 1582. artic. 46. Ratisbon. 1603. artic. 28. in not. ad d. L. 2. c. 4. p. 143. & seqv. Sleid. l. 7.*

L. 10.

§. XVIII.

Acuta certè sunt ista, quæ vir subtilisfimus protulit: *Nihil tamen acutius aristâ. Multa inutilia subtilitas produxit.* Etenim inter præcipuos belli, non ex justâ tantùm causâ gesti, sed & solennis, effectus, Dominii acquisiti titulum numerari, constans ac justa est apud Gentes persvasio: demonstrante id Grotio *L. 3. c. 6. §. 1. 2. & seqv.* Besold. *in Tract. de Appell. c. 2.* imprimis si accedat partium, inter quas lis est, Pacificatio & transactio: argumento Puffendorffii *L. 8. c. 5. §. 20.*

Seneca Epist. 82.

Resp. 1. Jure Belli acquisitam Borussiam.

(1) transactionis titulo.

Utroque verò juris acquisiti titulo gaudent Monarchæ Sarmatici: in cujus rei fidem adstruendam evidentia præcedentibus paragraphis exhibita sunt documenta. Nec est, quòd à Juris Imperatorii reservatione sœpius iteratâ jacturam securæ hactenus Possessionis metuat Polonia, cui sanè prospectum satis arbitrio Maximiliani inter Regem Poloniæ & Magistrum Prusfiæ interposito. Dignæ memoratu Tabulæ, quibus juris, si quod Imperatoribus fuit in Prussiam, evidens renunciatio expressa successores quoque obliget necesse est: nisi ab his fidem, ab Antecessore datam, illud sacrum Societatis humanæ vinculum, impunè fractam velis. Sunt verò his conceptæ verbis:

Grot. L. 2. c. 24. §. 10.

(3) *Imperatoris approbatione accedente.*

Maximilianus divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes, Palatinus &c. tenore præsentium recognoscimus, & profitemur: Quod cùm inter alia, quæ nobis curæ, cordique sunt, summoperè cupiamus vera, syncera, atque fraterna unione cœteris Principibus Christianis conjungi, ac quantum in nobis est, omnes ad sanctæ pacis & concordiæ fœdera reducere, & cohortari: ut tandem concordibus armis & viribus Christianis ferocissimi ejusdem nominis hostes debellari, & exterminari possent: Ut hinc quieti, tranquillitati, ac stabilimento universæ religionis, ad incrementum & propagationem Christiani nominis consuleretur.

Cumque Sereniss. Dnus Rex Poloniæ in eâ semper voluntate fuerit, ut cum Sacrâ Imperiali Majestate in optimâ amicitiâ & benevolentiâ fraternâ vivat, & maneat: suamque Majestatem tanquam fratrem majorem & consangvineum charissimum etiam observet, ac veneretur: Placeat igitur Majestati nostræ Cæsareæ, ut res & negotia inter eundem Sereniss. Poloniæ Regem, & Magistrum Prussiæ, ac Ordinem suum, in eâ formâ ac modo remaneant, quemadmodum exstant utrinque conscripta, & observabantur ab annis retroactis tempore felicis memoriæ Friderici Imperatoris, & Seren. Dni Regis Cazimiri. Nec Magistrum Prussiæ ejusque Ordinem subtrahere volumus ab his, quæ debent suæ Serenitati, & Regno Polon. & quæ prædecessores ejus Magistri faciebant neque auxilium neque consilium ei præstabimus in damnum & detrimentum suæ Serenitatis & Regni sui. Item quod ad Civitates Gedan. & Elbingen. attinet, quæ hactenus bannis & aliis modis Juri Sereniss. Regis & Regni Polon. noxiis gravabantur, Nos nunc jam easdem Civitates ab iisdem bannis abex nunc jam easdem Civitates ab iisdem bannis absolvimus & liberas esse decernimus. Mandabimusque ut easdem Civitates à præteritis bannis absolutas dimittat, & in futurum ex quibuscunque causis ad cujuscunque instantiam nunquam eos audeat bannire, vel quovis modo infestare: nullumque Judicium contra easdem Civitates & earum similes â nostrâ Imperiali Judicii Camerâ deinceps institui, & fieri permittemus. Quos duos articulos nos summâ fide promittimus inviolabiliter observare, adimplere, & exequi, neque illis quoquo modo contravenire. Harum testimonio literarum nostrarum Sigilli Imperialis nostri munitione roboratarum. Datum in Civitate

tate nostra Viennen. die 22. mensis Julii Anno Domini 1515. apud Prilusium *d. L. p. 220.* Cœterùm Derelictionis factæ indicia à Conringio deducta præposteras illas & facto, ut vocant, contrarias protestationes evidenter reddunt inutiles. Conferantur porrò solidæ pro Jure Polonorum rationes expositæ à Stanislao Lasko apud Sleidanum *L. 20. Hist. p. 561. & seqv.* Quibus an solidè etiam responsum fuerit, literis Imperialibus apud Goldastum *P. 2. Constit. Imper. p. 241*, Lectoris fide integri sit judicium.

(4) *derelictionis titulo*

An ex jure & titulo Semper Augusti Imperator Prussiam vindicare possit?

Minor etiam à titulo *Semper Augusti* metus subest; Quem quidem Juris publici Commentatores tam magnificè jactant, atque ejus vigore Imperatoribus, quæ hactenus ab Imperio amissa, & vel immemoriali præscripta tempore, recuperandi facultatem splendidè magis quàm solidè ostendunt: Quâ de re farraginem argumentorum operoso conatu congestam videas in plerisque *Institutionum ad Proem. verbis: Semper Augustus:* commentariis. Videant verò, *ne fortè non pertineat ad viros bonos, gaudere de Imperii latitudine:* Augustini monito, *de Civitate Dei L. 4. c. 15.*

Negatur.

Nec metuendum à pacifica Domo Austriaca.

Nec enim connata Augustissimæ Domui Austriacæ virtus aliud hactenus quàm pacem publicam spirat; Neque nisi injuriis vicinorum lacessita bellum suscipit, & in eo tranquillitatis perpetuæ meditatur geritque negotium. Alta & per integrum Seculum hucusque inter confines Germaniæ Poloniæque Populos servata pax & amicitia,

felici

felici sœpè affinitatis nexu servata, & sacro in communem Christiani nominis hostem adstricta fœdere, nec unquàm recrudescentis in Borussiam prætensionis colore interrupta. Magna certè subditorum felicitas, quam concordes Imperantium peperêre animi. Sed parciùs hæc tetigisse sufficiat; Nec enim falcem in tam amplam Gloriæ aut invidiæ messem immittere animus est. Segetem aliis relinquo, probè memor illius; *lubricum esse scribere de Regum potestate & ditione ipsorum, ut regnant, ut jure vel injuriâ possident.* Si de fontibus judicandum, plerorumque Regnorum & Rerumpublicarum injustæ essent Origines; Et ipsis Romanis redeundum fore ad casas suas jam olim notavit Carneades. Privato mihi satis sit, in controversiis Principum recentioribus, non judicii pruritum, sed possessionem sequi.

Præstat, possessionem sequi.

Gramoldus L. 1. Hist. p. 10.

Besoldus de Jurisd. Imp. Rom. Qv. 6. Baldus Consil. 248. & 267.

SECTIO

SECTIO X.

DE POLONIA NUNQUAM TRIBUTARIA.

Qua

Initia & Successus bellorum cum Imperio Ottomannico & Scythico gestorum exhibentur, quibus nunquam Poloniam ita succubuisse demonstratur, ut utrique vel alterutri subjecta vel tributaria facta fuerit.

§. I.

Pax Polonum Occidentali Imperio perpetua, post suppressum Cruciferorum Ordinem.

Oppresso in Borussiâ Cruciferorum Ordine, fomenta simul belli inter utramque Gentem Germanam & Polonam, magnis utrinque viribus, & per tot secula gesti, uno pene ictu extincta fuêre. Ex odio illo vetusto, post tot urbium incendia, tot domitas ac eversas provincias, tantum sangvinis humani prodigè fusum, nihil iræ residuum. Alta utrinque pax, sacris fœderibus sancita, commerciorum libertate firmata, ac seculi integri, & quod excurrit, decursu consolidata. Res mira, tam discordes & insociabiles animos ita in mutuam coaluisse amicitiam, ut præterita bella pro commentis ferè jam habeantur. Nullæ intereà simultates tam graves, quæ antiqui dissidii refricarent memoriam; si quæ, ut est in rebus humanis, aliorum instinctu ac impetu leviores intercesśêre, amantium fuêre, amoris redintegratio. Prævaluit semper etiam post acceptum utrinque aliquid injuriarum, constans pacis desiderium. Publicæ jam ergò ac communi saluti consulitur, & ubi vires suas sibi invicem perspectas exerceat Gens utraque armis valida, satis superque occasionum habet. Barbaris cincta undique nationibus, has æmulâ virtute, ac sangvine suo moratur, arcet, ac prohibet, ne *Orientis* pernicies universum quoquo versus pervagetur Occidentem.

§. II.

Sed novus ex Oriente hostis, cujus potentiam auxit dissidium Christianorum Principum.

Utinam verò ad commune illud restingvendum incendium citiùs concurrissent Pontifices, Imperatores, Regesque Christiani; quibus inter se belligerantibus, Turcarum barbara Gens è parvis pudendisque initiis ad tantam, quantam nunc cernimus, magnitudinem Imperium suum successu temporum perduxit. Ut videre est apud Chalcocondylam *L. 1. & 5. de reb. Turc.* Leunclavium *in Pandect. Hist. Turcicæ v. 24. & 56.* Cromerum *L. 3 Hist. Polon. p. 59.* Mutium *L. 15. Chron. German. p. 122. in medio.* Aventinum *Tract. de Reb. Turcicis sub tit. de Incremento Turcarum fol. 128.* Sensit maximè vicinæ istius Potentiæ molem Sarmatia nostra, ad sistendum avertendumque Ottomannicæ Tyrannidis furorem fato quodam destinatum Christianis munimentum. Et ut altiùs rem repetamus, primum finitimis illis excursionibus paravêre aditum Tartari, populus

pulus rapinis latrociniisque assvetus. Hi Russiâ pervastatâ, maximamque partem subjugatâ, Principes ipsos Regionis dictæ *tributarios* reddidêre, donec sub auspiciis Johannis Basilidis, impulsu uxoris, quæ Tartarorum servo se nupsisse sœpius conquerebatur, ejusdem generosâ fraude A. 1479. jugum turpe, post 300. demum annos excussissent: testibus Barone ab Herberstein *de Reb. Moscovit. fol. 8.* Cureo *Annal. Silesiæ p. 67. 68.* Herburto *L. 17. c. 9.* Cromero *L. 8. p. 296.* Lubienskio *Motu Civili in Polon. L. 4. pag. 154.* Kojalowiczio *P. 1. L. 3. p. 57. & sequ.* Patuit cœterum per Russiam tunc subjugatam Scythicæ Genti in ipsam Poloniam transitus; incertum tamen, quâ ætate. Prima illius in eas oras incursio vel Anno 1188. vel potius Anno 1202, vel, ut alii volunt, Anno 1212. accidisse fertur, apud Lubienskium *in Resp. ad Protest Oper. Posth. p. 208.* Sarnicium, *L. 6. Annal. ad. A. 1202. p. 268.* Scholiast. Dubravii *L. XV. p. 139.* Naucler. *Gener. 41. p. 920.* Autor verò antiquus quidam *Fasciculi Temporum, cum Append. Joh. Linthurii,* A. 1214. rem gestam exhibet *Ætate IV. p. 80.* Si Dlugosso credimus, nec tunc in Poloniam usque penetrasse Gentem illam ignoratam adhuc, & vix auditam, asserendum erit. Namque *Polowczorum* mentio fit à Tartaris devictorum, qui tamen cum *Polonis* confundendi non sunt. *Tom. 1. L. 6. A. 1212. p. 547.* Sequitur Duglossum Miechoviensis *L. 3. c. 31.* Rem itaque ut incertam dimittimus, certioremque illam, quæ conspirantibus Scriptorum

Scythæ Turcis in Europam paravere aditum.

Tum in Poloniam.

Quo anno disquiritur.

ptorum

ptorum momumentis traditur, amplectimur relationem. *Anno* nimirum, supra *millesimum Ducentesimum*, *quadragesimo* è Moscoviâ progressi Tartari magnis agminibus se in Europam effudêre, lateque ferro & igne in Christianos sævientes Poloniam imprimis, Hungariam & Silesiam impunè devastarunt. *Boleslaus Pudicus* tum Principatum in Poloniâ gessit, Princeps minorennis & imbecillis, Cracoviæ delitescens, incendiorum & direptionis regni sui spectator. Nec poterat rebus turbatis opem ferre, cum inter reliquos Poloniæ Principes nulla esset conjunctio, pessimo discordiæ exemplo, quâ res maximæ dilabuntur. Collectæ quidem Polonorum Germanorumque copiæ, Ducibus Henrico Pio Silesio & Poppone Magistro Cruciferorum, quæ tamen, sive, ut fertur, præstigiis artibusque magicis, sive panico quodam terrore perturbatæ à Tartaris *prope Ligniciam* magnâ & cruentâ clade affectæ periêre. Ceciderunt eo prælio Duces ipsi cum fortissimis Comitatus sui viris, tantusque Christianorum interfectorum numerus fuit, ut singulis singulæ auriculæ à Tartaris præcisæ, novem saccos explerent. Ut id fusius tradunt Miechov. *L. 3. c. 38.* Cromer. *L. VIII. à p. 206. ad 221.* Lubiensk. *d. l.* Sarnic. *d. l.* Dubrav. *L. XVI. p. 149.* Cureus. *Ann. Siles. in Histor. Tartar. à p. 66. ad 72.* Non tamen inulti occubuere Christiani, nec incruenta fuit Tartaris Victoria. Ita enim vires ipsorum concisæ erant, ut sibi ipsis diffiderent & ad suos reverterentur. Variæ

Certissimum A. 1240. per Moscoviam Tartaros Europam ingressos.

Regnante Boleslao Pudico tota penè Polonia à Tartaris vastata.

Clades Christianorũ ad Ligniciam.

Tartaris victoriâ fatigatis recedendum fuit.

Ss posthac

posthac factæ Tartarorum in Poloniam expeditiones, ancipiti tamen marte, ita ut successu temporum Polonorum Imperantium Majestatem comiter venerari, stipendiisque illorum militare cœperint, ut id inferius patebit.

Qui Polonis postea stipendio militarunt.

§. III.

An Polonia Tartaris tributaria dicenda, ob solutum illis stipendium militare pro auxilio?

Prima hinc petenda erit *Tributi*, quo Poloniam Tartaricæ Genti obstrictam fuisse tradunt Annales, vera origo: cujus quidem usum ad posteros processisse non diffitemur, alio tamen, quàm qui in præjudicium Libertatis Polonæ, odiosæ illi voci affingi solet, sensu ac intellectu. Reges namque Poloniæ olim graviora bella contra Germanos & Cruciferos gerentes, copias Tartarorum auxiliares vocare solebant, & quo eò promptiora ad omnes casus haberent, *stipendium annuum seu honorarium* ipsis concesserant, quod duobus millibus vestium ex melotis seu pellibus agnorum consutarum, ac mediocri copiâ pannorum laneorum Anglicorum constabat, nimirum æstimatione decem millium nummorum aureorum seu florenorum in Poloniâ usitatorum. Deducente id Piasecio *in Chron. pag. 53.* Auxiliares vero tum Polonis Tartaros fuisse, documento est famosa ad Tannebergam Victoria A. 1410. Tartarorum Virtute ac sangvine parta. Ut id referunt Cromerus *L. 16. p. 388.* Neugebauer *L. 5. p. 152.* Schütz. *L. 3. fol. 102.* Sed ex quo tali eorum operâ non amplius Respublica indiguit, vel

vel etiam, quòd illi eam præstare non possent, Turcis jam subjecti & ipsis solis militare coacti, vix aliquando petentibus concessa sunt, nisi fortè difficiliori Reipublicæ tempore, ut ita deliniti à latrociniis populationibusq; confinium retineantur, observante id etiam Piasecio *d. l.* Ob hanc v. Turcarum Tartarorumque conjunctionem in communem Christianæ libertatis perniciem inter se initam, rumpendum jam erit historiæ Tartaricæ filum & telæ rerum Turcicarum juxta seriem annorum intexendum.

§. IV.

Non Poloni Tartaris sed Tartari Polonis serviebant.

Antequam tamen eo progrediamur, vindicanda primum est stipendii dicti origo ab infami subjectionis inde derivandæ notâ. Non Polonos Tartaris, sed Tartaros Polonis mercenariæ subjectionis vinculo obstrictos esse, eo ipso stipendii barbaro illi populo porrecti argumento concludere licet: Est enim hæc servitutis species Jure Gentium introducta, quâ superior inferiori providet de necessariis, ipsi verò operam vicissim, quam possent, præstarent. Grot. *L. 2. c. 5. §. 27. 28. 30.* Hoc sensu eadem Gens Scythica ab Imperio Turcico jam dependet, ut, quotiescunque Imperator se bello accingit, ipsum armatâ manu sequi cogantur, & quidem numero CM. si ipse Imperator in castris præsens fuerit, XLM. verò, si Magnus Vesirius mittatur. Ast stipendii vices subit libertas in prædam agendi, qua

Arg. 1.

Arg. 2.

qua operam præstitam copiosissimè compensant, abducta sæpe innumerâ hominum pecudumque multitudine: Nec *Patrocinium* dici meretur, quod à Tartaris Poloniæ tunc pacto promissum. Mercenarium enim fuit, *mercedem* autem *officio non deberi* solide deduxit Bodinus. Sed sit salva utriusq; tunc Gentis Polonæ & Scythicæ libertas, salva sint Majestatis Jura; dixerim *pensiones sociales* tunc Scythis præstitas, quæ nullo amissæ libertatis præjudicio Rempublicam nostram afficere possint. Ita Helvetiorum & Rhetorum Civitatibus pensiones à Regibus Galliæ ex fœdere dependi solent, eâ lege ut Reges auxiliaribus eorum copiis ad imperii sui tutelam uti, Prætoriasque cohortes ad Corporis obsequium & custodiam inde conscribere possint, teste Bodino *L. 6. c. 2. p. 1013.* quod quidem fœdus sæpe renovatum fuisse, Acta publica documento sunt. Conf. pluribus Grotius, qui sine imminutione Imperii, fœdus de solvendo stipendio iniri posse demonstravit. *L. 2. c. 15. §. 7. n. 3.* & *diss. Gener. de Region. Tribut. sensu* §. 16.

Arg. 3.

Dicendum potius pensiones sociales fuisse, quæ neutrius præjudicium involvunt.

§. V.

Objectio solvitur, non illicitam fuisse Tartarorum societatem bellicâ.

Ut porrò omnem etiam, quæcunque Regibus nostris ex Sociali cum Tartaris contracto fœdere aspergitur, abstergamus maculam; non abs re quæstioni locum facimus. *An licitum ac honestum fuerit fœdus illud adversus Germanos ac Cruciferos ejusdem cum Polonis Christianæ religionis socios initum?* Non defuisse recentioribus seculis osores, qui datis in publicum scriptis fœdus illud carperent, testatur Phœnix Historicorum nostræ ætatis Vespasianus Kochowski *in Climactere 1. Annal. L. VII. p. 461.* à quo tamen improbatæ societatis illius bellicæ rationes pro justitia causæ Sarmaticæ solidè refutatæ legi merentur *p. seqv. 462.* Cœterum eodem in argumento desudarunt jam Viri doctrina ac eruditione celeberrimi. Impugnantium fœderis æquitatem numero habentur Albericus Gentilis *L. 3. de Jure Belli c. 19.* Petrus Martyr. *in Locis Theologicis clas. 4. c. 16. n. 23.* & *Commentariis ad Librum Judicum p. 76.* Johannes Stephanus Menochius *in Hieropoliticis L. 2. c. 4.* Wilhelmus Zepperus *L. 4. de legibus Mosaicis, c. 6.* Johannes Chokierus *in Thesauro Politico L. 2. c. 9.* Georgius Schönbornerus *L. 4. Instit. Polit. c. 36.* Antonius Faber *de regenda Religione L. 3. c. 4.* Celsus Mancinius *L. 6. de Jure Principum c. 18. seqv.* Sleidanus *L. 15. Hist.* Thuanus *L. 1.* & *2.* Limnæus *Not. ad Proem. Caroli V. n. 85.* & *seqv.* Quibus addatur famosum Scriptum, cui titulus: *Gesta Impiorum per Francos*, & *G. G. R. Admonitio ad Ludovicum XIII*, quâ author fœdus Regis cum Gustavo Adolpho Rege Sveciæ & Belgis initum improbat, quod tamen Scriptum A. 1638. jussu Magistratus Carnificis manu combustum fuit: Quâ de re consulendus Nic. Rigalt. *in Apol. pro Rege Christianissimo.* Approbantium verò partes tuentur Andreas Rivetus *Commentario ad Hoseam p. 197. seqv.* Antonius Corsettus *Libro de Potestate Regia part. 4. quæst. 33.*

Negantium Numerus.

Approbantium.

Bodinus *L. 5. de Republicâ c. 6.* Bartholomæus Kekermannus *in cursu Philosophico disput. 33. quæst. 18.* Tiberius Decianus *Volum. 3. cons. 20.* Samuel Maresius *in Systema. Theolog. disput. 15. dist. 24.* Martinus Becanus *L. 5. Manual. Controv. c. 14. & Tom. 2. Theolog. Scholast. part. 2. c. 25.* Augustinus Torniellus *in Annalibus sacris Tom. 2. p. 293.* Hugo Grotius *L. 2. de Jure Belli & Pacis c. 15. dist. 3.* Vir celeberr. Becmannus *meditat. Polit. c. 22. §. 4.*

Decisio. In hoc Herculis bivio, medio tutissimè ire licet, si dixerimus; Polonos non temerè tunc in Christianos movisse arma, non in opprimendam, cum infideli gente, conspirasse veri cultus divini libertatem, nec sponte sed lacessitos ad avertendam, invadentium nullo jure, potentiam atque ad amplectendam extremâ necessitate societatem bellicam compulsos fuisse. Mansit constans in Deum fiducia, bonæ ex fœdere inito causæ spe semper comite. Nec eam fefellere eventus, utpote justissimæ conjunctionis, non nisi prosperrimi.

§. VI.

Historia Tartarico Turcica. Quibus præmissis, ad Telam *Historiæ Tartarico-Turciæ*, quam §. 3. exorsi sumus, pertexendam accingimur. Primus Imperatorum Turcicorum *Bajazetes I.* versus Occidentem progressus est, cui *Sigismundus* Imperator itemque Rex Bohemiæ & Hungariæ collecto ex omni Europâ exercitu valido, nec non temnendâ Polonorum sociorum manu instructus, occurrendum ratus ad Nicopolin cum hoste summis copiis conflixit, tam

Primus Bajazetes I. adversus Sigismundum I. Imperatorem arma movit. Adfuere hic Polonorum auxilia.

tam tristi tamen eventu, ut Imperator amisso universo exercitu, vix piscatoriâ exceptus scaphâ, fugâ Constantinopolin delatus esset; inde in Rhodum perveniens, operâ Venetorum in Regnum suum reversus est. Annus rei gestæ ab exteris 1395. à Polonis 1396. fuisse notatur, ut videre est apud Cromerum *L. XV. p. 366. & sequ.* Sarnicium *L. 7. p. 341.* Cureum *Annal. Siles. pag. 116.* Bonfin. Rer. Ungar. *Decad. III. L. 2. pag. 377.* Naucler. *Generat. XLVII. pag. 1031.* Lubienski *in Censura Julii p. 236.* Marinum Barletium *de Expugnatione Scodrensi L. 1. f. 232.* Ex quo jam tempore, Turca in Europam pedem intulit, crebræ successêre in Poloniam utriusque Gentis barbaræ excursiones. Imperabat tunc apud Tartaros *Tamerlanes*, rei militaris scientiâ & fati felicitate eò potentiæ provectus, ut 1200000. hominum haberet in exercitu: Is Turcarum copiis deletis, captoque eorum Imperatore Bajazete, & ferreæ caveæ incluso, Europam universam nominis terrore implevit. In Polonos etiam meditatus gessitque bellum, quo barbaris cessit victoria non incruenta tamen: nec diu illi superstes fuit Tamerlanes eo ipso anno extinctus, dum interim Tartari Poloniæ finibus relictis, in Lithvaniam populabundi excurrunt, factâque prædâ ad sedes suas revertuntur. Cromer. *d. l. p. 368.* Cur. *p. 117.* Bonfin. *Decad. III. L. 2. p. 383. fin.* Successit Anno 1443. memoranda illa *clades Varnensis*, quâ Vladislaus Jagellonides Poloniæ atque Hungariæ Rex rupti, ex consilio Hungarorum, dissuaden-

Victores Turcæ.

Bajazete devicto Tamerlanes Tartarus in Europam, inque ipsam Poloniam penetrat, sed morte præventus recessit.

Successit Clades Varnensis Christianis exitialis.

svadentibus Polonis, cum Turcâ fœderis pœnam dedit. Auxit infelicem Christianorum successum, infelix apud Imperatorem Germanum, aliosque Principes suspicio augendæ à Vladislao Potentiæ nimiæ: quâ dum illi torquebantur, maluere Vladislaum opportunitate prævisâ carere, quam præter voluntatem ditionibus suis augeri. Namque amisso exercitu ipse quoque adversæ fortunæ succubuit; Ex quo tempore robur Christiani nominis despectui esse cœperat, & subinde crescente potentiâ Turcicâ, vicinis Regnis atque Provinciis ruinæ ac interitus metuendi erant. Cromer. *L. XXI.* Lubienski *p. 237.* Bonfin. *Del. III. L. 6. p. 463.* Cureus *p. 142.* Naucler. *Gen. XLIX. p. 1068.* Philipp. Callimach. *de Rebus à Vladislao Rege Polon. & Hungar. gestis L. III.* Crancius *L. 12. c. 11. p. 277.* Philipp. Lonicerus *in Hist. Turc. L. 1. f. 18.* Aventinus *d. P. 4. f. 129.* Hæc nimirum fuêre utriusque Regni Poloni atque Ungarici, unius hactenus Imperio subjecti, fata infelicia certè; ast feliciora mox apparebunt imprimis Poloniæ nostræ, quæ post pugnam illam Varnensem seorsim sibi Reges constituit; qui soli ac primi divino freti auxilio docuere, Potentissimos illos Turcarum Tartarorumq; Imperatores vinci, illorum audaciæ frenum obduci, atque crudelissimum impetum cohiberi posse: differente ita Lubienskio *in Censura Julii Belli pag. 237.*

Occubuit illa Vladislaus Polon. & Hung. Rex.

Feliciores postea Poloni, postquam ab Hungaris sejuncti cum Turcis bella gessere.

§. VII.

Sub Mahomede II. potentissimum Imperiũ Turcicum.

Sub *Mahumede II.* crevêre in immensum Otto-

Ottomannicæ Potentiæ vires. Is enim duo Imperia illa maxima Constantinopolitanum & Trapezuntinum, XII. Regna & CC Urbes maximas expugnavit, suoque subjecit Dominio. Ipsa totius Orientis Civitas præcipua Constantinopolis A. M. CCCCLII. capta & ex eo tempore Imperantium infidelium sedes facta. Et quod obstupescat Posteritas, unius hominis ætate confectum opus, quod Victrix Gentium Roma vix post aliquot secula perfecit. Conf. Theodos. Zygomales *in Crusii Turco-Græcia p. 73.* Leonhardus Chiensis Archi-Episcopus Mitylenæus *in Chron. Turc. Tom. II. p. 84.* Leuenclau. *in Annal. Turc. p. 29. & seqv.* Lonicerus *in Hist. Turc. L. 1. p. 22.* Imminebant verò primum *Vallachiæ*, quæ Poloniæ Regno socia ac penè tributaria erat, Turcarum arma; His ex fœdere reprimendis, & ne incendium, conflagratis vicinis in ipsam Poloniam transiret, obstricti Reges nostri exercitum in illas oras duxêre; quo verò bellorum successu, quave gloriâ, mox edisserendum. Cœterùm initium fœderis dicti accuratius exponere mihi primùm animus est. Stephanus Vallachiæ Princeps natu major ut Petrum minorem ætate ast potentiâ prævalentem Principatus obtinendi spe excluderet, à Casimiro Magno Regi Poloniæ A. 1359. perduci se ad patrium fastigium orat. Sed quamvis copiis ejus refectus, ad gentile decus evaserat, diu tamen per adversa conflictabatur. Nam Petrum ingenio violentum, super solitam fratribus invi-

Prima belli causa, quod Poloni Valachos contra Turcarũ potentiam defenderent.

Vallachia enim Polonorum socia & tributaria.

diam, amiſſi quoque principatûs pœnitentia, & ſecuta poſtea mors Caſimiri, acriùs in Stephanum agebat. Quâ occaſione motæ aut accitæ Turcarum gentes, Bulgariam, Serviam, & quicquid à tergo erat occupârunt: adeò proximo periculo exterritis Valachis, ut ſpontè oblato perpetuò vectigali, iterum tutelæ ſe & patrocinio noſtrorum darent. Multum id ipſis ad animos & gloriam profuit. Nam neque à noſtris tributorum magnitudine attriti, & Turcarum bellis celebres, alienâ fiduciâ, ſtrenuè retinebant libertatem & virtutem. Diſcordes deinde, & domeſticis factionibus feſſi, dum dominationi implicantur; adducti ſunt ut ſervirent. Manebat quippe vetus adhuc inter ſuccedentes de principatu diſſenſio: cui ſœpius popularium favor occaſionem, & ſocios aut miniſtros turbarum, dabat. Hinc armorum initium & è propinquo pars fortunæ Turcis. Referente Johanne Petricio *in Hiſtor. Bienn. Rer. Polon. p. 6. 7.* Ex hoc veteri jure & Poloni Valachiam ſibi aſſerebant & Valachi arma noſtrorum in Turcas provocabant. Sed ad curriculum noſtrum revertamur. *Mahomedes II.* ut diximus, primus fines Moldavicos tentavit, cui *Stephanus* Regionis Princeps, Vir ſtrenuus fortiter ſeſe oppoſuit: Qui etſi prælìis victus ſœpe eſſet, ita tamen Victoris vires attrivit, ut victoriæ gloriâ magis ſuperbiret, quàm ejus fructu uteretur. Apud Leunclav. *Annal. Turc. p. 29. 30. 31.* Cureum *d. l. p. 194.* quibus jungi poſſunt *Annales Patrii conſpirantes.* Succeſſor Mahomedis *Bajazetes* clades Paternas à Stephano acceptas ulturus A. 1484. in Beſſarabiam & Moldaviam expeditionem ſuſcepit, quâ Stephanus potentiæ Turcicæ longè impar ſuccubuit, coactusque fuit *Caſimiri* Regis Poloniæ opem implorare, promittens in verba ejus ſe juraturum. Rex acceptâ in fidem Moldaviâ opem Stephano fert, quâ princeps iſte fretus ad diſcrimen quidem univerſæ dimicationis cum Turcis non venit, ſed particularibus certaminibus eos vehementer exercuit, ſœpeque non ſine ſtrage fudit, fugavitque: Moldavis, qui & ipſi æquè ac Turcæ leviori armatura utebatur, animosè in eos procurrentibus, & cum premerentur, ad Polonorum ſigna agmenque extremum ſeſe recipientibus, & cum iis pariter hoſtem in ſe ferocius invehentem reprimentibus. Ita retinuit tamen principatum ſuum Stephanus, quamvis mutilum. Exceſſere enim Turcæ Moldaviâ, Kyliam tamen & Bialogrodum præſidiis firmarunt: tractumque illum maritimum, quem Beſſarabiam vocant, in Poteſtatem ſuam tunc redactum in hunc usque diem obtinent. Teſtibus Cromero *L. 29. p. 434.* Cureo *d. l.* Modicum inſuper tributum Turcicis Imperatoribus ex eo tempore pendebant Moldaviæ Principes: Eò quod Caſimirus bello Cruciferorum diſtractus auxiliares illuc copias mittere non potuerit, deducente

Mahumedes II. primum Moldaviam aggreditur ſed irrito conatu.

Tum ſucceſſor Bajazetes, contra quem Poloni à Valachis in auxiliū vocati.

Sed prævalente Turcarum potentia, facta illis Valachia tributarii.

Tartari tum à Turcis vocati Podoliam vastant. ducente id fusiùs Jane Lasitio *in Hist. de ingress. Polon. in Valachiam p. 76.* Interea Scythæ sive ultrà sive à Turcis irritatis incitati crebris incursionibus Podoliam infestabant, repressi tamen studio & armis *Joannis Alberti* Casimiri filii & Stephani Moldaviæ Principis, teste cit. Crom. *d. l.* Cureo *p. 178. 179. 194. 195. 204. 224.* Continuatum cum Turcis Tartarisque bellum ancipiti tamen fortunâ, donec fœdus inter Regem Tartarosve anno 1501. ictum esset Jurejurando interposito confirmatum. Quod quidem Tartari more suo dederunt, aquâ strictis frameis infusâ & sorptâ, mala imprecantes ei, qui fœdus violasset. Missa Principi à Rege munera, & inita belli adversus quoscunque hostes societas. *ibid. p. 448.*

Sed à Polonis ad pacem & fœderis socialis necessitatem coacti.

§. VIII.

Valachi infideles Turcarum auxiliis Podoliã invadunt; sed repressi à Polonis in gratiã Regis redeunt.

Johannem Albertum excepit *Alexander*, cui breve fuit Imperium; Hunc *Sigismundus I.* Princeps immortalitate dignissimus in Regno secutus est. Sub hoc *Bogdanus* Valachiæ Princeps Turcorum Tartarorumque auxiliis fretus magno belli apparatu Podoliam Russiamque invasit, immemor sacri fœderis ab Antecessoribus suis cum Poloniæ regno initi. Dedit verò pœnas perfidiæ, victaque est hostium pertinacia: Maxima pars ad internecionem deleta, multi ex primoribus capti, reliqui in fugam versi. Tandem Vladislai Ungariæ & Bohemiæ Regis studio & assiduis precibus, Bogdanus Regi reconciliatus orato-

oratores ad eum mittit, iram deprecaturus, variisque muneribus oblatis in fidem ejus concessurus. Ut id habent scriptores coævi, Bernhardus Vapovius *in fragmento Hist. p. 542.* Cromer. *L. 30. p. 452.* Atque sub Regno nostro huc usque adhuc Valachia esset, nisi ipsi hos illosque prout invaluerant, vel pro lubitu fovere assveti, tædii remedium, flagitiosâ apud utrosque, Polonos nimirum & Turcas, perfidiâ quæsivissent, differente ita Petricio *p. 7.* Variæ pro Gentis istius Juribus ac securitate susceptæ à Polonis in Turcas expeditiones, quales fuêre *Johannis Tarnovii* contra Petrum Palatinum A. 1531. ut patet ex historiâ Sigismundi I. per Johannem Dantiscum breviter compilatâ, quæ exstat *Tom. 3. Polon. Rer. p. 11.* Item *Nicolai Sienavii*, A. 1552. & *Nicolai Mieleckii* A. 1572, testibus Johanne Lasitio *in hist. de ingress. Polon. in Valach. à p. 68. ad 74.* & Leonhardo Gorecio *in Descript. Belli Livonii Palatini Valach. à p. 75. ad 94.* *Johannis* porrò *Zamoscii* A. 1594. teste Piasecio *ad ann. 1595. p. 127. & seqv.* Is verò expeditionum enumeratarum finis fuit, *ut Moldavi à legitimis Ducalis sangvinis Principibus regerentur, rejectis, qui vel ab aulâ Turcicâ obtrusi erant, vel sponte principatum ambiebant, competitoribus, utque tantummodo statum & moderatum tributum Imperatoribus Turcicis penderent.* Hoc vero jure Valachi propriâ culpâ A. 1612. excidêre, cum ipsis eô tempore Rebus Russicis intentis Tartari in Moldaviâ sedem sibi com-

A Turcis iterum vexati Valachis variis Polonum expeditionibus juvantur.

comparerent. Cui accessit Stanislai *Zolkievii* Præfecti Exercitûs cum *Skinder Bassa* ad Bussam tractatio, quâ ipsum illum morem convulsit, nec tamen ullam certitudinem securitatis ab incursionibus Tartaricis obtinuit; Tartari enim post illam tractationem in Moldavia quasi Turcæ propria sese sibi in campis Budziaki dictis perpetua fixa assiduis in Poloniam incursionibus prædas agere non cessabant: referente id eodem Piasecio *ad d. A. p. 280.* Ad extremum, quia Polonis pretium Bellorum non nisi Valachorum perfidia erat, segniùs inde publicis opibus adjuvabantur, & hinc tributis jam & injuriis Turcarum graviùs jam, quàm bello olim conflictantur. Nam initio Mahomedes modicum tributum Valachis, duo tantum aureorum millia injunxerat: mox auctum in annos, & sexaginta millium, usque ad Ivoniam eorum Principem, secutis Cæsaribus, numerabatur. Facta posthac contra eum Selymo Cæsari per Principem Transalpinæ Valachiæ, si Petrus Frater Dominationis potiretur licitatione, immensum excreverat: duplicatusque numerus, centum viginti millia aureorum, singulis annis ærario inferebatur. Nunc sublatâ istâ, & quo nihil atrocius, avaritiâ in crudelitatem versâ, quæ jure exigi non possunt, rapiuntur. Non modus, non tempus exactionibus statum: sed libido tantum Cæsaris, & Principi, quod jubetur, dandi necessitas. Graphicè id describente laudato Petricio *p. 21.* His tam gravibus

Sed Valachi infideles Polonis propria culpa graviùs Turcarum subiêre jugum.

vibus oneribus pressi Valachi, antiquâ iterum in Polonos propensione simulatâ, sæpiùs eosdem in societatem belli, ultimo hoc imprimis seculo traxêre: Quâ Gentis nostrâ gloriâ, quove Regni emolumento, inferiùs constabit.

§. IX.

Jam Regni ipsius statum aggrediamur, visuri, *an libertas* Nationis nostræ hactenus adversus Occidentis hostes illæsa *servata jacturam fecerit ex bellis Moldaviæ causa cum Ottomannicâ Portâ Scythicoq; Imperio gestis.* *Sigismundum I.* verò Regem Poloniæ, & *Selymum I.* ac *Solimanum* filium Imperatores Turcicos, potentissimos utriusque Imperii successores, in scenam producimus. Sigismundus omnium ætatum memoriâ dignus Princeps stabilitam à Majoribus cum Imperio Turcico fidem incontaminatam coluit: Missa illic initio Regiminis ad Sigismundum à Selymo legatio illustris. Hic enim inter Turcarum Imperatores gloria rerum gestarum eminentissimus, sæpiùs multa propensissimæ in Polonos voluntatis indicia edidit, vetustaque fœdera sanctioribus adhuc, ac æterno quodam nexu duraturis pactis resarcivit; quæ in honorem memoriamq; ejus *Solimannea* appellata, ad hunc usque diem, non sine magnâ veneratione, à Turcis leguntur: observante id Illustrissimo Domino Jacobo Sobieski *L. 1. de Bello Chotimen. p. 3.* Cum Turcis itaque nullum Regi apertè fuit bellum:

An occasione præstitorum Valachis auxiliorum Poloni Turcis tributarii facti?

Inter Sigismundum & Turcam amicitiæ fœdus initum.

Sed clam Hungaris auxilia missa.

lum: Sed tamen, ne communem Christianitatis causam deseruisse videretur, bis contra eos in Hungariam Ludovico missa auxilia: concessæ quoque auxiliares copiæ Carolo Cæsari, ita tamen, ut non Sigismundi auspiciis, sed Caroli Cæsaris & Germanorum stipendiis militarent. Valachos verò adversus Tyrannidem Turcicæ & Tartaricæ Gentis non segniter liberavit; *Tartarisque donativum sive stipendium*, negatum quidem sæpè, tandem constituit, non modò ut ab assiduis eorum incursionibus ditiones suas aliis bellis impeditas, liberaret, verum etiam ut eorum operâ in vexandis ac distinendis Moschis, & aliis hostibus suis, parvo redempta uteretur. Quâ re tantum profecit, ut & Moschos ad petendam pacem adigeret: & tam culta & habitata sit, quam nunquam sub fratribus, patre & patruo ejus fuit Podolia. Conf. Oratio funebris Sigismundo habita à Cromero *p. 682. & 690.* Vapovii *Fragment. p. 551. 565.* Multùm sane errant, qui ideò Poloniam Tartaris Tributariam esse autumant. Non enim ex Imperio Tartarorum, sed ex mutua conventione seu Pacto, sine subjectione, stipendia hactenus præstita. Juri enim suo semper relicti Reges, cum aliàs, si Tributarii essent, sui juris non facilè esse possent. Nulla porrò præjudicii inferendi ratio, eò quod ad avertendas incursiones promissa fuerint munera, sufficienter jam hæc explosa. *diss. Gener. de Reg. Tribut. §. 17.* Quibus addenda Bodini censura. Non, *inquit*, stipendiarius est, qui hostium Duces mercede locat, aut cor-

Tartaris etiã à Sigismundo Donativum promissum.

Deciditur, Poloniam neutri nec Turcis nec Tartaris tributariã factam.

corrumpit: ut Periclem ferunt erga Lacedæmoniorum Duces fecisse, non quia pacem precari, sed quia differri bella cupiebat. *L. 6. de Republ. c. 2. p. 1013.*

§. X.

Sigismundi Augusti augustum verè ac potentissimum successit Imperium, adeò ut illâ ætate neminem toto orbe tam potentem esse Principem Exteri judicarent, qui vel auderet, vel posset tantam Poloniæ felicitatem turbare. Sit Cranzius illius ævi Scriptor communis apud exteros sententiæ interpres. *Magna*, inquit ille, *hodie domus Poloniæ, originem ducens ex Lithvanis. Incomparabilis est hodie sua magnitudine cunctis Principum per orbem Christianum familiis. Quam enim Gentem dabis tam latè imperitantem? Teneat Hispaniarum Rex hodie propitio Deo omnem Hispaniam quinque regnis distributam: adjecerit Bæticæ regnum, quod Granadæ vocant. Pace ejus dixerim, Poloniæ domui par esse non potest. Tria enim latissima Regna hodie complectitur. Tenet Vladislaus Senior inter fratres regna Ungariam cum Bohemiâ. Tenet Joannes Albertus ipsam Poloniam: Alexander frater magnum Lithvaniæ Principatum, fratre Rege Poloniæ, nullâ parte minor, &c. L. VI. Vandaliæ. c. 8.* Sola *Moldavici Juris* conservandi causa serenum Poloniæ cœlum turbare videbatur; ast insigni Augusti solertiâ omnes majoris incendii scintillæ sopitæ, & sancita â Divis Majoribus fœdera, iteratis vicibus redintegrata. Judicante ita Illustr. Sobieskio

Sub Sigismundo Augusto florentissimum fuit Imperiũ Polonicum vicinis metuendum.

Moldavicæ quoque turbæ compositæ & fœdus cum Porta redintegratum.

biefkio *L. 1. p. 5.* Confer. Neugebauer *L. 8. pag. 633. & seqv.* Crudelius verò in Valachos à Turcis ſævitum *Henrici Valeſii* ad Regnum vocati tempore, quo etiam Poloni mox orbati vulnera ſociæ Provinciæ inflicta obducere non valuêre propriis Reipublicæ malis medendis intenti. Neugebauer *Hiſt. Polon. L. IX. p. 660.* Thuanus *L. LXI. ad. A. 1575.* Fredr. *in Vita Henrici Valeſii.*

Licentius verò ſub Henrico Valeſio Turcæ in Valachia graſſantur.

§. XI.

Sed repreſſi Stephano Imperante.

Miſera tunc rerum facies in Moldaviâ: ſed inſigni *Stephani* ſolertiâ priſtinæ ſerenitati reddita fuit. Nam Ivan qui Petrum Palatinum Moldaviæ Regis amicum ac fidelem vicinum collecta militum manu Principatu deturbaverat, interceptus mox, Regis juſſu, capite plexus eſt. Miſſi cœterùm in Turciam & Tartariam legati ad componendas ſimultates, ut, antequam bellum Moſchoviticū ſuſciperet Rex, ſecuritati & paci illarum partiū conſuleretur. Conf. Johann. Demetr. Sulicovius: *Comment. Rer. Polon. p. 105. & ſeqv.* Par pari retulere *Tartari*, qui miſſis ad Regem nunciis pacem à Majoribus ſtabilitam ſe ſervaturos promiſerant. Oblata ſimul ex fœdere antiquo contra Moſchos Poloniæ tunc hoſtes opera, petitis ſimul donativis. Rex & gratam ſibi eorum operam futuram teſtatus, & donativum ſe illis daturum pollicitus eſt. Neugeb. *L. 10 p. 72. & 675.* Aſt cum bello contra Moſchum omninò abfuisſent, adverſus Perſarum Regem à Turcarum Imperatore avocati, promiſſa quoque illa ſtipendia ex

Renovatum quoque fœdus cum Tartaris, iisque ſtipendium promiſſum pro operâ Polonis præſtandâ.

ex lege conductionis operarum Rex præſtare meritò reſpuit. Ecce evidens *ſtipendii* iſtius, non ex Imperii Tartarici facultate, ſed ex formulâ contractus conſtituti documentum! Urgentibus enim Tartarorum Legatis, ut conſveta donativa ſolverentur, fertur Rex magnanimus reſpondiſſe, *ſe tributarium tali beſtiæ nunquam fore*: itaque contumelioſè habitis Legatis, vacuis etiam diſcedendum fuit. vid. Piaſecium *ad A. 1586. p. 53.*

Quam operâ cum non præſtitiſſent Tartari, negatū quoque ipſis ſtipendium.

§. XII.

Tandem *Sigismundo III.* ad Solium evecto, conceptæ hactenus belli Turcici & intra cineres gliſcentes ſcintillæ in apertam erupêre flammam. Crevit eo inſolens Tyranni Ottomanici faſtus, ut *tributum quaſi debitum* à Rege exigeret, junctis de turbandis finibus ipſoque Regno penitus evertendo minis atrocioribus. Graves hoc de faſtu ab ipſo Rege habitæ querelæ, quibus in reprimendam hoſtis arrogantiam Polonos libertatis avitæ tenaces animare conatus eſt. Digna memoratu verba Regia, quæ hic inſerantur: *Gdyż z woley y z łáſki miłego Bogá na ſtolicy Kroleſtwá Polſkiego, y wielkiego Kśięſtwá Litewſkiego, tákże wſzyſtkich Páńſtw y Prowincyi do nich należących, Krolem jeſteſmy poſtánowieni, beſpieczeńſtwo y obronę páńſtwam náſzym, gotowiſmy z Stany Koronnemi obojego narodu wedle naywiętſzey możnośći ſwey obmyślawáć, tym więcey pod ten czás, gdy z wrodzonego jádu ſwego przećiw chrześćiáńſtwa Ceſarz Turecki,*

Apertum Sigismundo III. cum Turcis bellum, & ab his Regi tributum indictum.

recki, bez wßelákiey miáney od nas przyczyny, Nam y páńſtwam náßym przymierze ſtárożytne złámawßy, Poſłá náßego wielkiego od nas y Rzeczypoſ. do niego posłanego, contra gentium jura, zniewáżył, po śmierći jego, przyjaćiele y Sługi jego z Końmi y ze wßyſtkimi rzeczámi ich záhámowano, tylko jednego z ich towárzyſtwá, urodzonego Mikołájá Czyżewſkiego Podczaſego Chelmſkiego, z liſtem ſwym odpowiedźi pełnym do nas wypuśćiwßy, ktorym Tyrannicum jugum fœdæ ſervitutis, *poddánym náßym ná ßyję kłádáć* annuatim trybut *z Páńſtw naßych, z przodkow naßych zawżdy od niego wolnych, albo więc wßyſtkich obywátelow páńſtw naßych (czego broń Boże) poturczenia śię upomina, dokłádájac tego, gdźieby był* trybut, *albo podáne poturczenie odmowione, że już krom inßych media, y poſyłánia Posłow, do żadnych tráktatow śię nie przychylájac, Woynę przećiw Nam y Páńſtwam náßym na pośięgdzenie Páńſtw náßych, do reſponſu ktorabyſmy z tych dwu przezen podánych condicjy przyjać woleli: po oddaniu liſtu tego tylko ſpatium duorum menſium záłożywßy. Jeſt u tego Tyránná wßyſtká śiłá uradzoná y poſtánowioná, y Nam tym liſtim jego odpowiedźiáná: á jáko Słowá brzmia*, bellum eſt decretum: apud Januſch. *Part. 1. Tit. 10. pag. 348.*

Pax hæc à barbaro, ſub tributi pendendi onere, oblata generoſæ Polorum Genti bello deterior viſa fuit. Martis ergo aleæ Sors libertatis conſervandæ commiſſa, quæ tandem à partibus etiam noſtris ſtetit. Quâ in re cùm fidem mereatur ſummam *Illuſtriſſimus Dominus* Jacobus Sobieſki, belli illius non Spectator tantum, ſed maxima pars ac penè arbiter; operæ pretium me facturum puto, ſi in deſcribendo maximæ expeditionis iſtius exitu, Sarmatiæ noſtræ auſpicatiſſimo, Magni illius Herois veſtigia religiosè preſſero. Cauſa belli fuit vindicta de Zaporohenſibus Coſacis ſumenda, & negatum, quod Turcæ urgebant, à Polonis tributum. Generosè tunc Veſirio tributum urgenti reſpondiſſe fertur Caſtellanus Belcenſis: Communem, *inquiens*, hactenus nimirum in iſtâ expeditione Martem, dubiamque ejus aleam eſſe, & cladem & victoriam in arcano fatorum ſinu pendêre, nullamque adhuc apparere cauſam tam Turcarum faſtus, quam alicujus Polonorum metus: ad libertatem natam, libertatique aſſvetam Gentem ſuam, extrema quævis mala citiùs paſſuram, quàm indomitam divinâ providentiâ per tot ætates cervicem, fœdiſſimi ſervitii execrabile in pendendo tributo jugum ſubituram. *L. 3. Belli Chotinenſis p. 172. & 173.* Audito hoc reſponſo Veſirius, faciliorem ſe præbuit tractandis pacis conditionibus. Ad peragendum verò hoc negotium non parva momenta attulerant largitiones Reipublicæ nomine tam ipſi Dilaverio, quam aliis intimis Oſmani Conſiliariis promiſſæ. Turcæ enim naturâ ad nimiam cupiditatem proni, ac eo lucri avidiores, quòd ex infimâ in ſummam fortunam à Tyrannis ſuis plerumque evehantur, communi omnes vitio, auri nempe ſacrâ fame laborant. Magnâ quoque Legati diſtinebantur deliberatio-ne-

Negatum tributum indebitum, & bello decertatum.

Finitum ex voto Poloniæ negotium & pax ſtabilita ſine præjudicio libertatis.

ne, cujusnam pretii munera Osmano offerenda essent, non ut ea inter pacta inserere consentirent, quod omninò inferius gentis Polonæ Gloriâ judicabant, sed ut per Legatum, ad confirmanda fœdera Constantinopolim iter suscepturum, à Sigismundo amico Principi mitterentur. *pag. 174.* Missa ergo Legatio, oratore Castellano Belzensi, missa quoque munera, inter quæ præcipua erant framea & aliquot bombardæ elaboratâ operâ factæ, quæ Castellanus Belzensis ornaverat aliquot verbis eum in modum prolatis: Optimè novimus, te summis opibus affluentem „ Imperatorem, auro, gemmis, & pretiosâ supelle- „ ctili non indigere: nec ea nobis in bello, ubi „ ferrum maximè tractatur, præ manibus sunt, sed „ arma, quibus in propugnandâ Patriâ utebamur: „ Hæc tibi amico jam & socio Regis nostri Principi „ offerrimus, fidaque vota adnectimus, ut post „ præsentem Ottomannici & Poloni Imperii arctis- „ simum nexum, cedant tibi in communis hostis „ nostri cladem, & tuam insignem victoriam. *pag. 183.* Tandem & Tartarorum Chami petitioni satisfactum, cui solitum stipendium promissum, ita tamen, ut more majorum suorum ad bellum à Rege Poloniæ vocatus arma pro Republicâ Polonâ se sumpturum polliceretur: Conventum etiam, ut in præfecturam Moldaviæ promoveantur Christiani ab omni avaritiæ suspicione alieni, pacis studiosi, utriusque Imperii saluti ac tranquillitati addicti: Arx Chotinensis Palatino Moldaviæ tradatur: Commercia inter Osmani & Sigismundi

Tartaris quoque stipendium ex majorum more promissum, promissæ quoque ab illis operæ militares.

gismundi subditos libera, & tutæ mercatoribus viæ præstentur. Amici & hostes communes reputentur: Pristinum robur vetera pacta retineant, moderna inviolata permaneant: Quicunque autem ea violare ausus fuerit, Perjurus Esto. *pag. 188.* Addi possunt Johannes Innocentius Petricius *in hist. Belli Bien.* Piasecius *in Chron. ad A. 1620. & 1621.* Lubienski & Starovolski *in Orat. funebr. Sigismundi.*

§. XIII.

Sigismundum III. excepit *Vladislaus IV.* Princeps Magni animi, qui in bello Chotimensi tam egregia Virtutis heroicæ edidit specimina: ut Rex postea creatus solo pene nomine Turcas à Moschicis Legatis sollicitatos finibus Regni sui arceret, pace in perpetuum stabilitâ ac fœderibus confirmatâ. Vid. Piasec. *ad A. 1634. p. 474. ad 477.* Kobierzycki *de Rebus Gestis Vladislai,* Orationes Ducis Ossolinii. Francisc. Marin *de Scopo Reipubl. f. 362. & seqv.* Sed & Tartaros sub auspiciis Vladislai in obsequium redigendi A. 1637. ampla oblata occasio, cùm Cantimir Murza Bellator famosus, eoque semper invisus Principibus Tartaricis, ne istis subesset, simul aliis Tartaricis Ducibus in campos Budziaki prope Bialogrodum, Tebinam, Kiliam, & Moldaviæ Terras sitos concessisset, ac ab Imp. Turcico evocatus strangulari, cœterique in Chersonesum Tauricam remeare jussi essent. Duces isti enim socii Cantamiri, cum & Turcarum, qui Cantimirum dece-

Vladislai IV. auspiciis Turcæ cæsi, ac solo nominis terrore à finibus repulsi

Tartari etiam sub jugum Pol. redacti fuisent.

deceperant, blandis promisfis non fiderent, & Chamum fibi offenfum timerent, confugerant ad Præfectum fupremum militiæ, aliosque Proceres Poloniæ, illorum confinium cuftodes, offerendo defectionem à Chamo & Turcis & fubjectionem Regno Poloniæ, dum modo ipfis fedes aliqua asfignaretur, feu fi perfifterent incolere illos campos Budziaki, contra Turcam Chamumque auxilia eis darentur. Quæ tamen petitio, etfi commoda ingentia attuliffet, rejecta fuit; indignante ideò Piafecio *in Chron. ad A. 1637. fol. 496.*

§. XIV.

Sub Johanne Cafimiro Tartaris tributũ negatur, ftipendium v. promiffum.

Imperante verò *Johanne Cafimiro*, Tartari Cofacorum motibus allecti, ipfique Bello Turcico, tum fpe quæftus ex captivis faciendi, tum juffu Imperatoris Turcici pertinaciùs adhærentes, gravisfimis cladibus Poloniam afflixerunt. Pacis tandẽ tractata negotia. Tartarus quippe cùm *tributa fibi pendi folita* peteret, Offolinius Orator Polonicæ Legationis ad mentionem tributi appertè excandefcens. *Tributi nomen*, inquit, *Poloni ignoramus, accipere ea, non dare fveti: alio titulo ftipendia gratuita pete, quæ Regi munifico dare moris, ut iis obligatus, hoftes atque & amicos pro delectu ejusdem habere tenearis.* Scytha in energia vocabuli nonnihil hærens, poftquam hallucinantis interpretis accufaverat errorem, in craftinum differri colloquium petiit. Conventum ergo fequenti die in hæc capita, quibus nullum libertati Polonæ inferri præjudicium, lector æqvus judicet.

Ab

Pacta conventionis inter Tartaros & Polonos.

Ab hoc tempore inter Regem Johannem Cafimirum ejusque fucceffores Reges Poloniæ, & Islan Gierejum Chamum Tartarorum ejusque familiam Gierejam amicitia & fraternitas in perpetuum efto.

Rex Poloniæ ex liberalitate ordinarium ftipendium Chamo Tartarorum retentum hactenus pendito, & inpofterum, ubi id per Legatos Cameniciam miffos petet, dato.

Chamus Tartarorum vicisfim adeffe Regi, quandocunque hic jufferit, cum omnibus copiis fuis contra quemvis hoftem tenetor.

Nulli Tartaro hoftili animo fines Regni ingredi aut prædas agere fas efto: & Chamus ab omni invafione Tartaricâ indemnes Poloniæ Ditiones præftato. &c. &c. &c.

Tradunt id Kochowfki *L. 2. Annal. p. 149. & feqv.* Paftorius *in Hiftor. Scythico-Cofacica pag. 69. & feqv.*

§. XV.

Promiffum à Michaele inconfultis Ordinibus tributum, negatum ab his.

Longè infeliciora fuccefsêre tempora, *Michaele* in Regem electo. Anno enim 1672. univerfæ tunc Europæ fatali, Turca valido inftructus exercitu Caminiciam, propugnaculum illud Regni Polonici ftupendum & judicio Ofmanni invincibile expugnavit: Jamque ipfi Regno Poloniæ vis Turcica imminebat; cum Michael Rex, inconfultis tamen Ordinibus Regni, (qualem promisfionem invalidam effe fupra deduximus.) Pacem à Turcis impetraret his conditionibus: Ut Poloni Podoliam totam Imperatori Turcico

 trade-

traderent, Cosacos sui juris esse permitterent, & quotannis 22000. Ducatorum Portæ solverent: Quarum conditionum indignitate moti Poloni decreverunt sua recuperare, Belloque resumpto A. MDCLXXIII. sub ductu hodierni *Regis Serenissimi* tunc supremi Ducis Polonicæ militiæ, d. XI. Novembris Turcas ad Chocimum profligarunt: In eoque usque ad A. LXXVII. perstiterunt, quo d. XIII. Aprilis Pax de novo inita, conditionibus tamen paulò mitioribus, Tributumque remissum, & Paulocia ac Bialocierkia Polonis in Podoliâ relictæ fuerunt. Quæ ex Ephemeridibus publicis in summam contracta exhibet Celeberrimus Germaniæ Polyhistor, Beckmannus *in Hist. Civil. c. 10 de Imper. Turc. §. 12.*

Succedente victoriâ sub auspiciis S. Regis hodierni à Polonis partâ ad Chocimum.

Sed nova iterum non Poloniæ tantum sed & universæ Europæ A. 1681. imminuit ab Hydra Ottomannica pernicies; Quis Hercules monstro huic Libertati Europææ inhianti arcendo, reprimendo, contundendo dignior tunc visus, communibusque generis humani votis â cœlesti Numinis impetratus, quàm Magnus ille HEROS, JOHANNES TERTIUS, *non Polonæ tantùm sed & Europææ omninò Libertatis Vindex & Stator*, meritò nuncupandus.

Durantis jam belli finis ab hodierno etiam Rege Sereniss. certo augurio sperantur.

S. D. G.

7